

509. IV. 33.
I. N. J.
COMMENTARIUS
IN
S. PAULI APOST. EPISTOLAM,
QUÆ EST
AD HEBRÆOS;

Divina gratia cooperante, publicis lectionibus pro-
positus, ac mox ad Sacerdotium Christi incul-
candum, suffragante Rev. Facult: Theolo-
gica, disputationibus repetitus:

In Regia Academia Aboënsi,

PROF. AC PRÆSIDE
PETRO HANSONIO
S.S. Th. Doct.

*Petrus Lemoine
N: 1704 d. 13 Feb.*

*Non erubescō evangelium Christi, quod est potentia ad sa-
lutem omni credenti, Rom. 1: 16. & Tu Christe, secun-
dum misericordiam Tuam, vivifica me, ut custodi-
am testimonium oris tui, Psal. 119: 88.*

A B O Æ,

Impressus à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

ANNO 1671.

POTENTISSIMO AC SERENISSIMO
DOMINO
CAROLO XI^{mo},
D. G.

SVECORUM, GOTHORUM, WANDALORUMq;
REGI HÆREDITARIO,
MAGNO FENNONIÆ PRINCIPI,
SCANIÆ, ESTONIÆ, CARELIÆ, NEC NON
BREMENSIVM, WERDENSIVMq;, STETI-
NI ITEM AC POMERANIÆ, UT ET
CASSUB. ET WANDAL. DUCI,
PRINCIPI RUGIÆ,
DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ, &c.
NEC NON
COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ, JU-
LIACI, CLIVIÆ, MONTIVM DUCI, &c.
PIO, FELICI, PACIFICO, MAGNANIMO:
REGI AC DOMINO
CLEMENTISSIMO:

Pacem & gratiam à Christo nostro
Pontifice Summo.

POTENTISSIME AC SERENISSIME
R E X

DOMINE CLEMENTISSIME,



Oram *Sacra T.R. M^{te}* adparere, indulget regius *T. M^{tis}* favor. quocirca ut idem mihi adveniendi clemens affulgeat, precibus humillimis contendo. Impigre moliris promovere sacra REX POTENTISSIME, prorsus sicut Reges facere, jubet omnipotens Deus, Deut. 17: 18. & sicut nominatim idem mandat Josuæ cap. ejus 1: vers. 8. profuerit itaq; *T. R. M^{ti}*, ceu nostro Mofi ac Josuæ, in sacris asserendis vigilantissimo, sacra hæcce pio animo insinuare, ut recepta non modo studium concilient materiæ; sed probent quoq; meam fidelitatem obsequii, tam *T. R. M^{tis}* Zelo, quam divino beneplacito. nullius enim prævaricationis spontaneæ, à mandato vel Divino, vel Tuo Regio, mihi sum conscius, in hisce lucubrationibus parandis; ac idcirco gloriam obsequii sicut sum devote

vote sectatus; sic eandem iri probatum, humillime rogo. Et facile hæc sacra recipit *T. R. M. tas*: decernamq; Principes omnes, *Christum generis nostri Mediatorem*, in ipsa materia cognoscere, pacemq; notare ab ipso factam, quam exosculabuntur, quotquot pace vera in terris ac cœlis frui volunt. Hunc talem Pacificatorem, hanc tantamq; pacem venerantur ac celebrant pagellæ meæ: speraverim igitur quod *T. Sacra R. M. tas*, cujus Augusto Solio Deus hæctenus nebulas bellorum densissimas clementer disjecit, eas non modo non aspernerur, imprægnatas hoc tanto argumento, cujus auctoritate audent etjam summis tenues obversari: sed & ceu Summi illius Pacificatoris quædam civilis imago, vel semel animo regio versare dignerur. Convenerit quoq; hac occasione demandati officii rationem supplicem reddere. Magnificis sumptibus alis **REX CLEMENTISSIME**, in hisce borealibus, officinam pietatis ac humanitatis, **ACADEMIAM** nostram. Per hanc vis illustrare eos, quos natura detrusit in angulum mundi, & illuminare sacris liberalibusq; artibus, quos situs à veteribus artium divinarum ac humanarum magistris, fecit remotos; nimirum in sat vastas solitudines ab Augustis Antecessorib⁹ deductas Musas, virgines divinas sed tenerrimas, etjam *T. R. M. tas* magnificentia sacra clementer reficit: decuerit igitur nos Musarum cultores
ac in.

æ in earum officina operarios, sic muneribus nostris
invigilare, ne vel gratiam Dei, vel *Tuae M^{ti}* bonita-
tem, impii ludificemur. nec hæctenus Cancellario &
Directore Illustrissimo P E T R O Brahe/Comite de
Wisingborg benignissimo, per 30 annos fefellimus
spes pias. incredibile dictu, quomodo Sacerdotium
Christi, etjam in extremis oris, deprædicari cœprum
est, ex quo bonitas divina per insignia Augusta, Aca-
demiã Musarumq; cultores laboriosiores, huc in-
vexit. est diæcesis nostra exporrecta in longitudi-
nem 120 milliarium Svecicorum novorum (ibo ab A-
lãdia ad sacellum Enari in parœcia Kemensi) vel 200
ad minimum, Germanicorum; expediteq; sit gloria
Deo! in singulis districtibus, norunt etjam simplicif-
simi, Christum profiteri ac deprædicare. Per Aca-
demiã igitur nostram uti Ecclesia Dei est heic terra-
rum multum amplificata, & gloria Christi in infinitis
animabus propagata: sic est illa magnificentia *T.^a*
M^{ti} Regia, pariter ac Gloriosis Antecessoribus, im-
mortalilaudi, ac æternæ gloriæ monumento. Vestris
quippe Augustis Nominibus divinitus datum est,
adimplere vaticinium; *Spiritus Dei requiescit in aq-
uione, sicut scribit Zachar. 6: 8.* Ausi sunt sub hunc
finem alia alii: ego vero quid simplicitate mea ten-
taverim, ex quo *T. S. R. M^{tas}*, ante sexennium me
huc misit professorem, docebunt acta publica, &
simul

simul hoc quicquid est operis, ignaviae depulsæ ve-
lim monumentum. Has talesq; alias habeo causas,
cur nunc coram *R. T. M:te* adpaream supplex: prin-
ceps tamen earum omnium est, *S. R. T. M:tem* de-
vota mente venerari ac piis precibus colere: mihi
quoq; precari favorem, quo recreantur quotquot
R. T. M:ti de meliori nota felices innotescunt. So-
spitet Deus SERENISSIMUM Regem meum, & beet
Ejus S. M:tem felicitatibus cunctis: ita precor devoto
calidoq; pectore,

R. T. M:tis

Humillimus

P. Bång.

AD BENIVOLUM LECTOREM

PRÆFATIO

Blennium est ex quo publice interpretatus sum præsentem Divi Pauli Epistolam: nec fuit tunc animus lucubrations hæc unquam vulgare; non tantum quia sciebam magnis sumptibus volvi nostros typos; sed & quod observabam talium plerumq; natales, vel immaturâ morte auctorum anticipari, vel hæc seculi perversitate, tristibus judiciis maculari: expressit tamen ardor officii, in celebrando Sacerdotio Christi, ut neglectis sumptibus, animoq; superata fatorum sorte, etjam cum aliis communicarem, quæ haussissent præsentis tunc temporis mei commilitones. Tenuia sunt, fateor, mea omnia, quod meliora depromere non potuit ingenium subsidiis fere omnibus destitutum. non hæc terrarum consulere licet bibliothecam Oxoniensem, nec ad Vaticanam recurrere, imo nec mediocrem videre. paucis adminiculis oportet nos adquiescere, ac plerumq; iis, quæ contingenti beneficio manibus nostris ingessit fortuna. Stylus meorum est, ut vides, simplex ac concisus; non tantum quod putavi prorsus vanum esse, vel Te lenocinio verborum pascere, vel numero paginarum me exponere metiendum; sed & quod volentibus sic nonnunquam Dn. Respondentibus, necessum habui constringere, ac paucis completi, quæ antea concepta erant fusius. Mediocriter vero inter scribendum, abstinui ab insectationibus amaris, vel quod spiritus ille fulminans, si donum est, mihi sub piis meditationibus, non sit datus; vel quod crediderim modestiæ ac humanitati Christianæ parum convenire, adversariis, quorum pars major laborat simplicitate, superciliosè insultare. Vellem hæcce mea Tibi probari: sin vero displicuerint, tu meliora molire, aut saltem mitioribus verbis hæcce mea expende, quando Tibi vel pro informatione, gratias pio pectore rependam, vel si opus est, causæ rationem similibus rectius exponam. Errata typographica video non pauca, sed illa non admodum moror: sunt quippe *primum* pleraq; aliena; & *deniq;* indigna fere omnia quæ mihi adfricent maculam: neq; porro eadem amoliri, sicut superioris anni, in *Professione, Pastoratu ac Rectoratu*, multiplex mea cura. Tu bonis bene utere; servus Jesu Christi ego semper maneo; vale.

Sequentes Domini **STUDIO SI** navarunt suam
operam, in hisce tuendis ac vulgandis:


- I. **JONAS** *Ed Upland. Philos. Cand.* cap. 1.
- II. **ANDREAS** *Hanstenius Viburg.* cap. 2.
- III. **BENEDICTUS** *Hagenius Smoland.* cap. 3.
- IV. **ERICUS** *Klint Smoland.* cap. 4.
- V. **DANIEL** *Bnger Viburg.* cap. 5.
- VI. **ANDREAS** *Paccalenius Satag. Finlandus* cap. 6.
- VII. **MAGNUS** *Lage Smoland.* cap. 7.
- VIII. **JACOBUS** *Blström O-Botniensis* cap. 8.
- IX. **ANDREAS** *Hafelqvist Smol.* cap. 9. ad pag. 265.
- X. **BENEDICTUS** *Laurbecchius O-Gothus, Philos. Candid. ac vice Biblioth.* cap. 10. part. pri. ad p. 289.
- XI. **NICOLAUS** *Wylman O-Gothus,* part. post. ad pag. 305.
- XII. **JOHANNES** *Aschlinus O-Goth.* cap. 11. fere tot.
- XIII. **SIMON** *Tolpo Aboënsis,* cap. 12. ad pag. 387.
- XIV. **MICHAEL** *Brudgumme Viburg.* cap. 13. p. 411.
- XV. **JONAS** *Angelius Smoland:* inde cœtera ad Epistolæ finem.
- XVI. **GABRIEL** *Lauræus O-Botniensis, Consist. Ecclesiastici p. t. Notarius, Prolegomena*

PRO

PROLEGOMENA

IN

EPISTOLAM S. PAULI APOST.
AD HEBRÆOS.

vantum momenti ad rerum persecutionem & applicationem, adferat causarum cognitio, nemo prudens est, qui nesciat: igitur hujus epistolæ desiderium incipientibus, currentibusq; stimulum quendam ut injiciamus, nos heic sub frontispicium, recte causas ejus perstringimus; ita quippe modesti seduliq; lectores, & flagrantioribus animis in eam propendebunt, & postea inter legendum, si non majorem omnino, tamen superatis etjam per hæc nostra, multis obstaculis naturalibus aut historicis, præcociorem, Deo benedicente, sentient suæ operæ fructum.

Causa efficiens principalis hujus Epistolæ est S. Sanctus.

I. Ea rerum pondera in hac epistola proponuntur, quæ dicitur ac proponit solus S. Sanctus. talia sunt *cap. 1. admirandus patefactionis divinae modus, mirificum creationis opus, & stupendum de divinitate filii mysterium. Cap. 2. incarnatio & exaltatio filii Dei. Cap. 3. Christi pontificatus, &c. &c.* in quibus omnibus rationis humanæ judicium aut obstupescit, 1. Tim. 3: 16. aut insanit, 1. Cor. 2: 14. Hæc igitur similiaq; horum alia, in sequentibus capitibus quæ nobis traduntur, ut omnem sapientiam humanam, omnemq; rationis humanæ captum longe superant; sic non possunt aliunde, quam per S. Sancti bonitatem nobis esse detecta: solus enim Deus revelat profunda & abscondita, Dan. 2: 22.

II. Proponuntur hæc rerum pondera heic ea verborum ac phrasium gravitate, qualem S. Sanctus alibi usurpare consuevit.

III. Observatur quoq; heic illa methodus, quæ S. Sancto alibi est familiaris: nimirum ut in aliis epistolis S. Sanctus *primum* tradit mysterium salutis nostræ per Christum Jesum paratæ; & *deinde* indicat officium nostrum erga Deum servatorem: sic ordine eodem hæc duo in hac epistola docet ac urget expresse.

IV. Sed vero S. Sancti foetum esse hanc epistolam, cum primis arguit divina ejus in animis hominum commovendis ac erudiendis efficacia. Est omne verbum divinum vivum, efficax, & quovis ancipiti gladio penetrantius, 1. Pet. 1: 23. Jacob. 1: 21. Heb. 4: 12. & pariter ad intima animi penetralia non sine dulcissimo divino fructu, penetrare quoq; hanc epistolam, sentiunt pii & modesti ejus lectores: ipsa igitur, ut est, præ verbo divino, & S. Sancti foetu, rectissime agnoscitur & deprædicatur.

V. Addimus testimonium ipsius S. Sancti. Scilicet ut perhibet ille testimonium in cordibus nostris de gratia Dei erga nos, & vicissim de filiatione nostra apud Deum, Rom. 8: 16. sic mentibus nostris sub piam devotamq; lectionem ac meditationem, de certitudine libri sacri benignus testificatur. etenim solus ille novit, quæ sunt Dei, 1. Cor. 2: 11. & solus porro ille de veritate testificatur, 1. Joh. 5: 9.

Atq; hisce modis nostræ epistolæ facile asserimus divinitatem, sed præcisam eandem à revelatione immediata ac mediata, prout nos ex hæctenus visis argumentis, possumus conjicere:

OBJECTIONES.

I. *Incommode hac epistola cap. 1: 5. probat aternitatem Christi: ex sensu typico, qui occurrit 2. Sam. 7: 14.*

II. *Videtur Novatianis favere, non tantum cum peccantibus post baptismum, denegat poenitentiam, cap. 6: 4. & 10: 26. sed & cum dicit Esau nequicquam poenitentiam quesivisse, cap. 12: 17. quod est contra cuncta evangelia & Pauli epistolas, scribunt in præfatione hujus epistola interpretes nostri pleriq;.*

III. *Quadam citat ex T. Veteri, utpote cap. 1: 6. cap. 10: 5. 17. 116. cap. 12: 21. qua tamen ibi non habentur, sicut porro non pauca alia minus dextere refert.*

IV. *Pugnat cap. 9: 4. de repositis in arca rebus, cum 1. Reg. 8: 9. Unde multi ex patribus hanc epistolam naspiciam citant, veluti Lactantius, Arnobius &c. alii illam commentario dedignantur: præteritur enim in Commentario super Epistolas Pauli, qui Ambrosio datur, sed tamen est auctoris incerti, & ætatis sine dubio, Damasi Papæ: nec ante Anselmum Cantuariensem ab ullo Latinorum est illa unquam notis illustrata. Imo, nonnulli quoq; illam rejiciunt, quod de ejus auctore fluctuent, vide Hieron. in Esa. cap. 6. & 8. in Matth. 26. nec non ejusdem epist. 126, quæ est ad Evagrium, de Melchisedeco: confer pariter Augustinum, qui quod hæc epistola sit dubiæ auctoritatis, passim scribit.*

His similibusq; aliis argumentis contra Canonicam hujus epistolæ auctoritatem, cum paucis nostratibus modernis, insurgunt ex sectariis multi ac diversi. Sed cum omnia eorum argumenta vel à veritate recedant, vel paucis observatis, ad eandem feliciter reducantur, nostrum erit falsa refellere, & cœtera justis interpretationibus, sobriisq; expositionibus, non dicam lenire, sed ad orthodoxum sensum reducere, ut veritati servetur suus cursus, promoveaturq; doctrina, qua in fidei fundamentum ac incrementum, S. Sanctus etiam heic nos voluit locupletare.

Seponimus tamen in hæc præfatione argumenta, deprompta ex ipsa epistolâ, reservantes illorum solutionem, in ipsius epistolæ enarrationem, ne vel hic simus prolixiores, dum singula utcunq; juste deducimus; vel alibi agamus actum: & tantum nunc respondemus ad argumenta exteriora, sequenti modo:

Ad I. Argumentum; B; Silentium quorundam patrum

(2)

non

non evertere ejus auctoritatem; cum (1) ut constat, & testimonio humano, tantum liceat argumentari affirmative, non negative, ut vulgo docemur in logicis. (2) Sunt iidem patres tantum pauci, & qui numero reliquorum omnium, neutiquam sunt censendi. (3) Quod in specie Lactantium & Arnobium concernit, sciendum est eos contra gentiles disputasse, atq; ita quia vana ibi fuit scripturæ auctoritas, tam ab hujus epistolæ, quam aliorum sacrorum librorum citatione, frequentius abstinuisse.

Ad II. Argumentum: non scripsisse patres in eam commentarios.
¶ (1) Rursus ex testimonij humani defectu concluditur negative, satis præcipitanter. (2) Fuit præcis illis patribus constitutum, tantum in S. Pauli epistolas scribere: heic vero cum hærent, Pauline esset hæc an alius? ab eadem sub ista opinione, recte iidem abstinuerunt. commodiusq; dici potest ac debet, quod iidem patres scopo suo inservientes, eam magis præterierunt, quam fuerunt commentario dedignati. (3) Nec possunt vel debent iidem patres latini, totius antiquitatis nomine circumferri: unde (4) quam præteriverunt latini, eam amplexi sunt Græcorum pleriq;, qui ejus divinam auctoritatem nunquam non sunt professi expresse, vide Athanas. dial. 1. de S. Trinit.

Ad III. Argumentum: rejecisse illam quosdam patres propter incertum auctorem ministerialem. ¶ (1) Quod causa rejectionis non fuit commoda: ita enim si propter incertum auctorem ministerialem, velimus scripti auctoritatem extenuare, jam *primum* divinam scripti efficaciam internam, cum morali persuasionem externam, confundimus temere: etenim ut scriptum sacrum suis internis characteribus, internaq; divina operandi virtute, solum parit fidem divinam: sic fidem humanam & historicam tantum conciliat notitia auctoris ministri. *Deinde* vigeat paulisper superior illatio: in quod periculum jam mittimus sequentes libros sacros;

Josua, Judicam, Ruth, Regum, Chronicorum, Jobi &c.: quorum auctores ministeriales similiter nos latent: ut itaq; hos sua auctoritate sacra non exuimus, propter ignorantiam auctorum ministerialium, sic nec convenerit ob defectum similis circumstantiæ, hanc epistolam sua dignitate privare. (2) Rejecerunt illam tantum patres latini, & qui ad vulgum morem præprimis in ecclesia attenderunt, vide Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. c. 3. contra vero multi alii ex latinis, eam venerabundi receperunt, conf. Hieron. in Epist. 126. modo citata.

*Causa efficiens ministerialis seu auctor secundarius,
(nostro judicio) est Apostolus Paulus.*

Disimulandum equidem non est, ad hanc thesin probandam nos destitui apodicticis argumentis: atq; hinc est pugna quæ super ipsam veteres recentioresq; Doctores exercet vel fatigat, utriusq; partis promachis carentibus quo ceu certo & indubitato documento, in suæ opinionis defensionem, niti possunt: sed tamen neutiquam contemnenda sunt ea argumenta, quæ pro affirmanda thesi, possumus cum aliis producere complura.

I. Testatur Petrus 2. Epist. 3: 14. Paulum ad Hebræos scripsisse. ea igitur epistola aut fato malo interiit, aut per Dei providentiam superstes, hæc esse jure creditur.

II. Testatur Petrus Paulum scripsisse sapienter, quomodo in hac epistola & quoad verba, & quoad sententias, relucet sapientia summa.

III. Testatur idem Petrus argumentum illius epistolæ Paulinæ ad Hebræos, ejusdem indolis fuisse cum argumento suo ad Hebræos, at cum argumento Petrino conveniunt passim multa, sed tamen præcipue conveniunt, quæ leguntur in hac epist. cap. 10.

IV. Teste eodem Petro fuerunt Pauli quædam *διανοήματα*

qualia quoq; occurrunt in hac epistola, quoad sensum, cap. 6: 4. seq. & 10: 26. seq. cap. 9: 1. nec non quoad ordinem exegeteos, cap. 12: 22. seq.

V. Commendatur in hac epistola pius quidam Timotheus, cap. 13: 2. at hujus nominis discipulum celebrem, præter Apostolum Paulum, non habuit Apostolorum quisquam alius.

VI. Meminit auctor suorum vinculorum in hac Epist. cap. 10: 33. prorsus sicut consuevit Paulus facere, Phil. 1: 7. Coloss. 4: 18. 2. Tim. 2: 9. ad Philemon, vers. 9. seq.

VII. Continet hæc epistola axiomata multa, cum Paulinis axiomatibus prorsus affinia, si non eadem: confer cap. 1: 2. 3. cum Coloss. 1: 14. seqq. cap. 5: 12. seq. cum 1 Cor. 3: 1. seq. cap. 9: 15. cum Rom. 2: 25. cap. 10: 34. cum 1. Thess. 2: 14.

VIII. Servatur in hac epistola illa methodus, quam in suis aliis adhibuit divus Paulus: præmittitur nimirum mysterium salutis, & postea urgetur pietatis praxis.

IX. Invenitur heic sub finem ea clausula, qua se omnes suas epistolas concludere, edicit Paulus 2 Thess. 3: 17. *Atq; ita 4. primò argumentò, sicut per Petrum remittimur ad Paulum, sic 5. sequentibus cæteris, videmur nobis ipsum Paulum videre ac agnoscere, vel docemur eum hic adesse.*

Producimus porro testimonia humana tam ex veteribus quam recentioribus Theologis petita, ut constet non novam, sed multis egregiis ecclesiæ doctoribus placentem sententiam nos fuisse amplexos ac secutos.

Ex veteribus sunt: Clemens Alexandrinus, Athanasius, Philastrius, Nazianz. Cyrillus, Amphilochius, Chrysostr. Epiphanius, Theophyl. Damascenus: quibus jure suo etiam sequentes latini possunt adnumerari: Hieron. Epist. 29. ad Dardan. Hilar. lib. 2. de Trin. Ambros. lib. 2. de Cain Rufin: in Symbolo. Cassiod. lib. 1. divin. lect. &c. de quibus omnibus, singulorumq; locis: consule D. D. Gerhardum in prolegom. ad hanc epistolam.

Ex

Ex recentioribus sunt jam fere infiniti, qui idem sentiunt: Loco omnium sunt sequentes Germani: Chytræus, Gesnerus Meisnerus, Gerhardus, Hylsem. Danha &c. & patrii Theologi (non singulos recenseo, sed quos facile inter principes ponere possum) D. D. Stigzelius Archi-Ep. h. t. Eminentiſſimus, præceptor & promotor meus æternum suspiciendus, in suis dictatis ad hanc epistolam: & D. D. Emporagrius, Episcop. Strengnensis gravissimus, nutricius meus quondam liberaliss. & tunc æq; ac nunc fautor & promotor propensissimus, in suis mellifluis homiliis &c. ut nunc non recenseam consentientes Calvinianos ac Pontificios.

Tot ex veteribus recentioribusq; stant nobiscum pro exscriptæ adsertionis defensione: negari tamen non debet, ut olim multos vixisse, sic hoc superioriq; seculo extitisse non paucos, qui aliter sentirent, vel in re tam ancipiti iudicium suum suspenderent.

Veterum multos aliter sensisse, testatur Tertul. in libr. de pudic. Euf. lib. 3. cap. 34. & lib. 6. cap. 20. conf. Hieron. in catal. illustr. virorum. Multos vero in hac quæstione iudicium suum suspendisse, testatur Ludovicus Vivos super August. lib. 16. de Civ. Dei cap. 22.

Inter recentiores & nostrates qui aliter sentiunt, sunt sequentes: B. Luther. in Gen. 48. Hunn. in cap. 2. ad Heb. Lucas Osiander in præfat. hujus Epist. Menzerus in Apol. contra Pistor. quibus si velimus annumerare possumus nostros translatores plerosq; B. Lutherum secutos. Baldvinus in suis proleg. dubitat, quemadmodum faciunt qui pro Paulo nominando, in suis concionibus citant *Messaren til dhe Hebreer.* Ex Pontificiis Cajetanus negat, Erasmus dubitat, Estius in prolegomenis mediis est, dum materiam & ordinem tribuit Paulo, compositionem vero & ornamentum dat cuidam ejus comiti vel socio. Ex Calvinianis sicut Calvinus, Marlhoratus, Arminius, Pauli eam esse negant, sic

rem in medio relinquit, Beza, Hemmingius, Aretius, Witakerus &c.

Atq; horum negantium vel hesitantium argumenta fere omnia, sunt hæc sequentia:

I. *Caret hæc epistola Pauli nomine ac salutatione, quæ duo inveniuntur in omnibus aliis ejus epistolis, & symbolice ejus opus indignant, 2. Thess. 3: 17.*

II. *Fit mentio catechismi cap. 1. seq. cum tamen ratio catechizandi videatur denum post Pauli aetatem cœpisse.*

III. *Annumerat se hic auctor discipulis Apostolorum, cap. 2: 3. quod Paulus nequaquam voluit, uti constat ex Gal. 1: 21. & 2: 6.*

IV. *Est hic stylus & orationis character, Paulino in aliis epistolis, gravior, ornatior ac copiosior, sicut id ipsum cum Hieronymo in Catal. illustr. Vir. & in Jerem. cap. 13. nec non cum Origine *ωεϋ* & *αρχαυ* cap. 25. recte observant peritiores quicq;.*

Sed Respondetur.

Ad I. Argumentum. (1) Si Pauli non est, quia caret Pauli nomine: erit igitur nullius, quia nullius præ se fert nomen, sicut convenienter regerit Hieron. (2) Caret prima Johannis similiter titulo, & nihilo secius Johanni vendicatur. (3) Suppressit hic Paulus suum nomen tanquam Judæis invisum, ne eodem adposito ac viso, illi statim ab epistolæ lectione vel auscultatione resiliunt, scribit Athanas. lib. de S. Trinit. dial. 1. (4) Aut fortassis quia incongruum putabat Paulus ibi se scribere Apostolum, ubi mox cap. 3: 1. Christum nominaturus erat Apostolum, sicut conjicit Hieron. in cap. 1. ad Gal. *Inst. Annon sic Paulus mutat suum scribendi morem: imo, annon sic violat fidem discipulis datam, 2 Thess. 3: 17.* Responderi vero potest, ad breve tempus, propter eorum salutis zelum, quo ardentius flagrabat, sic cum descendente spiritu, prudentia sacra dispensare, conf. inf. pag. 419. (5) Respondent Theodoretus & Thomas Pauli

nomen ideo esse omiffum, quod Paulus Apostolus esset gentium, non judæorum, uti constat ex Gal. 2: 9. sed hæc responsio non valet in ratione exclusiva, uti docent loca, Act. 13: 46. & 28: 23. (6) *Nos credimus Pauli nomen prius fuisse in omnibus exemplaribus adscriptum, quo modo etiam Beza testatur se in omnibus codicibus, uno tantum excepto, invenisse Pauli inscriptionem: & postea conjicimus id malo fato excidisse.*

Ad II. Argumentum & Quod mos catechizandi fuit etiam Pauli tempore usitatus, uti docent loca, Gal. 6: 6. Act. 19: 26.

Ad III. Argumentum respondet Bellarminus h. modo: In epistola ad Galatas agit Paulus de confirmatione per doctrinam, at h. l. agit ille de confirmatione per miracula; Sed cum Paulus revelationi divinæ det tam stabilimentum, quam fundamentum; & porro hic loquatur non de miraculis, sed doctrina, ut inspicienti textum sacrum, potest planum esse: igitur cui displicet superior Bellarmini responsio, illi inculcandum est *hujus textus verba intelligenda esse per ἀνακρίνωσιν*, sacris scriptoribus, ac imprimis Paulo, admodum familiarem, vide 1. Cor. 10: 8. seq.

Ad IV. Argumentum & (1) Quod etiam in aliis epistolis Paulinis notetur quædam diversitas. (2) Neq; est hæc diversitas, quæ est, usq; adeo magna; convenientiam enim magnam dant methodi Apostolicæ phrasæ ac sententiæ, ubiq; ac passim occurrentes. (3) Omnis vero illa differentia, quæ heic spectatur, non aliunde fere est, quam vel ex aliarum & veterum rerum expositione, ut hic aliæ res, alium stylum ac orationis characterem, credantur peperisse, quemadmodum conjicimus pleriq; ; vel fortassis quod indigniores esset Hebræi, quam ut hæc per S. Sanctum dilucidis ac ratione simplici, eis proponerentur, juxta illud Matt. 13: 10. seqq. *πολλὰ ὡς ἡ ἀσάφεια γίνεσθαι, ἢ διὰ τὴν φύσιν τῶν ἐξαγγελλομένων*

(1) *ωραγ-*

πραγματων, ὡς περ ἔχει παρὰ μὲν Μουσῆ ἢ τῆς σκηνοποιίας ἐκφρα-
σις, ὡς δὲ ἐξ ἐκκληλ ἢ τῆς Ἰσραὴλ κατασκευῆς; ἢ Δαδ. Ἰσραὴλ ἀκόντας, ἐκ ἀξι-
ως οὐκ, σαφεστέρως ἀκείν, ὡς περ καὶ ἰ κύρ. ① ἐν ὡδολογαίς τῆς
ὄχλοις ὠμίλει, scribitur in Synopsi Prophetiarum, edita per
Clariff. Davidem Hoëschelium Augustanum. Et tantum ad
negantium vel hesitantium momenta exteriora: in expositione episto-
lae fit satis argumentis cæteris, quæ iidem negantes vel pendentes
desumunt ex ipsa epistola, quæq; usurpant, vel ad divinam ejus fidem
extenuandam, vel ad Pauli auctoritatem heic excludendam.

Tu tamen hic non inepte sciscitaris 1. an hæc epistola sacra. 2. an Θεόπνευ-
ς ①, ② 3. an Canonica? Respondeo ad Imum, quod sacra facis
le creditur per ea argumenta, quæ supra ejus divinitatem
probant: à modo etenim ② circumstantiis gravibus ac majestate ple-
nis, ab objecto itidem ② sine, sicut petuntur revelationis divi-
næ κριτήρια; sic quia hæc omnia hic affatim occurrunt, ob
præsentiam itaq; eorum, potentem in actibus regenerationis
ac renovationis, non possumus non divinam & sacram eam
credere. Ad 2: dum respondeo: quod eo modo creditur Θεό-
πνευς ①, quo modo creditur Paulina. Ex viris θεοφόροις uti
constat, destinatur hæc soli Paulo; & si vincitur ejus opus
esse, jam utiq; est Θεόπνευς ①; quia ab electo Dei organo,
non potest non sub actum muneris, Θεόπνευστον opus exhiberi.
Sin vero minus sufficientes fuerint rationes, quæ Paulinam
eam esse docent, fortassis nec certius noveris (loquor de
cognitione indicativa & historica, non subsequitiva & divi-
na) eam esse Θεόπνευστον, h. e. immediata revelatione qua
νοήματα in impressione datam, & qua ρήματα in inscriptione
divinitus fufam, Spiritu Sancto hoc pacto ad nos, nostraq;
dona, sicut & ad nostros auditores, in adplicatione ipsa, be-
nignius condescendente: sic quippe Θεοπνευστίαν, quatenus
distincta est à ratione sacra, solemus prævenienter cogno-
scere, nimirum per argumenta externa, & testimonia, quæ
eam

eam narrant, quæq; luculenta scripto non modo certitudinem, sed & infallibilitatem; imo, majestatem, principia moralia gravissima, feliciter conciliant. *Ad 3.^{um} respondeo*: si viderint rationes quæ fundamenti loco præsupposita divinitate, Θεόπνευστον eam esse docent, jam Canonica est, non tantum in se, sed & apud omnes, qui Θεόπνευστιαν ejus norunt, & principiis tantis oppressi, non audent non; imo, non possunt non, Canonis loco eam habere: sin vero quod non sperabo, succubuerint eæ rationes, quæ Paulinam eam esse docent, jam tamen canonica erit, ob suam materiam, sed ratione minus excellenti, quoad faciem sui externam. nimirum erit canonica (1) propter sua contenta, & rationem suam divinam; prorsus eo modo, quo nostræ bibliorum versiones, ob rationem materialem, possunt canonicæ dici, tametsi fluctuent nunquam in verbis, contenta explicantibus: & quomodo canonica sunt multa nostra biblica, utpote quæ non sunt immediata revelatione scripta, sed tantum probata ab iis, qui eadem sunt gavis: canon quippe sic præscindit à Θεόπνευστω & sacro, ut hoc eum constituat tantum consequenter ac post usum, illud etiam eum faciat indicative, ac ante omnem usum. & ut illud largiatur Canonem moraliter, per suasionem. Ast hoc eum constituat divina ratione, per physicum influxum. (2) *Notari meretur, quod sicut Θεόπνευστιαν justis testimoniiis probata, canonem ponit in aprico; sic ubi scriptum illa caret, divinitas nihilominus ipsa, eum sensim introducit; vel quod magis nunc quam ante, per œconomiam divinam illuminemur in sacris; vel quod nolit Deus ante mundum consummare, quam illuxerint quæ mundo illuminando ille bonus antea dedisset, quomodo postliminio emergit in canonicam dignitatem, ut plerisq; adpareat post, quod ob defectum testimonii externi, olim suspicione obnubilatum, tantum à paucis potuit videri: id quod nostra epistola in suis factis tulit,*

Materia seu argumentum hujus epistolæ est cum primis Christus mediator ac pontifex noster, explicatus quoad suam personam, vocationem, sacerdotii administrationem, ac inde ad nos redundantem spiritualem ac salutarem fructum. Notabis autem hic (1) quod non omnia hujus argumenti complexi, tractentur in hac epistola, aperte ac expresso; sed quod quædam quoq; attingantur incidenter.: sicut (2) notabis, quod Apostolus thesi confirmata, quandoq; ad consequentias urgendas descendat, & (3) quod etiam data occasione, ad quædam alia, nonnunquam divertat fecundus. De persona Christi docet aperte duobus primis capitibus, ac quod verus Deus sit, multis monstrat capite primo: sicut præterea quod etiam verus homo sit, solide evincit cap. 2do. Similiter ac expresso agit de officio Christi prophetico & sacerdotali, & de illo quidem disserit copiose, capp. 1. 2. 3. & 4. sicut inde sacerdotale officium incipit fusius declarare capp. 5. 7. 8. 9. ast Christi regium officium tantum explicat incidenter, ut cap. 1: 2. 3. 8. 13. cap. 2: 9. cap. 7: 2. cap. 8: 1. Porro, scilicet post explicatum Christi officium sacerdotale cum omnibus inde ad nos manantibus beneficiis, non tantum per bonam consequentiam remonstrat judæis, non amplius habendum esse in ceremoniis legalibus sacerdotii levisici, utpote per Christum jam aboliti: sed & occasione ejusdem doctrinæ, ad pietatem nos exhortatur paterne, quod facit cum passim inter docendum, cap. 2: 3. cap. 3: 1. 6. 12. seq. cap. 4: 1. 11. 14. cap. 6: 12. tum doctrina illa absoluta, separatim à capitis 19. versu 19. ad capitis ultimi versum 20, ubi voto Apostolico Epistolam finit ac concludit.

Forma ejus est triplex: Physica, logica & Grammatica.

Per physicam formam h. l. non intelligo ullam quæ scientiæ naturalis est, sed eam, quæ in oppositione ad sivationem moralem, per ac propter vim sibi subjektivè inhærentem, hoc titulo rectè insignitur, quamq; no-
stra

Haec epistola facit vim & efficaciam divinam, qua illi aq. ac omni alii verbo divino, ex ordinatione divina, est ἐπιφύσις, Jacob, 1: 21. nimirum sicut scripta sacra alia, vi inherente divina, possunt pro argumentorum varietate, producere fructum vel institutionis, redargutionis, consolationis &c, 2. Tim. 3: 16. Rom. 15: 4. sic animo accepta haec nostra, per vim sibi implantatam, seu suam internam formam, eosdem parit spirituales effectus.

*Formam logicam sive διανοητικὴν, dat argumenti dispositio-
notaturq; illa haec esse: Primum docetur quae Christi dignitas,
quod officium, & cumprimis quae excellentia sacerdotii eius praevi-
tico. Deinde Hebraeus datur consolatio, & ad perseverandum in fi-
de, sermo quadam exhortatio; ut ita secundum hanc analysin,
epistola bimembris commode statuatur. Si tamen cuiquam
placeat distinctius procedere, illius bonorumq; aliorum ju-
dicio, possunt hujus epistolae partes tres constitui: scilicet. Prima conti-
netur descriptio personae, officii & eminentiae Christi. Secunda habe-
tur informatio de caeremoniis leviticis, nimirum quod sicut dum vi-
gebant, adumbrarunt Christum venturum: sic eo exhibitio, jam sunt
suum complementum consecuta. Tertia exhortatur Hebraeorum fi-
deles ad patientiam & vitam sanctitatem.*

*Formam vero Grammaticam (de ἀντιγραφή loqui-
mur) constituit lingua graeca. diversum equidem sta-
tuunt veterum ac modernorum doctorum non pauci: in
hanc tamen propositam sententiam nos inclinamus, com-
moti sequentium rationum momentis.*

I. Voluit Apostolus omnes Hebraeos informare Rom. 9:
2. seq. at id non fecisset, si vel pure hebraice tunc scripsis-
set, aut certa dialecto fuisset usus. nam (1) quamquam et-
iam tunc temporis, purus in scriptura antiqua fuit Hebraeus
sermo: in usu tamen populari, talis nequam mansit:

unde si pure hebraice scripsisset, tantum legisperiti & doctores alii, ejus epistolam intellexissent. (2) Si certa dialecto scripsisset, tanto minus ejus epistolam tunc omnes fuissent adsecuti; non tantum quia plures eo tempore erant dialecti, ceu Chaldaica, Syra, Hierusolymitana, Samaritana, & aliæ, vix singulis judæis peritioribus familiares, tametsi in se satis solemnes: sed & quod illæ ipsæ quæ tunc erant, pro ratione locorum, quæ diversa incolebant judæi, mutationes & corruptiones induissent plurimas. quacumq; igitur dialecto Apostoli præsentis loquebantur, sive Syriaca, sive Thalmudica, sive etiam Hierusolymitana, qua suspicantur eruditi Christum fuisse locutum; scripturi tamen iidem semper ad utilitatem communem respiciebant, & ita lingua græca, sibi suggesta *νοήματα*, infusaq; omnia alia, suis relinquebant, quod potuit illa tunc temporis intelligi, à judæis pariter ac gentibus, uti mox dicetur.

II. Præter hebræos, voluit quoq; Apostolus gentes informare, sicut ipse vocatus fuit judæorum juxta ac gentium doctor, Act. 9: 15. Rom. 1: 14. & Act. 26: 20. At commodius universos docere non potuit, quam lingua græca, quæ tunc & plerasq; orbis partes inundaverat, & judæis cum omnibus, tum præcipue in minore Asia degentibus, erat per quam familiaris. ergo

III. Sicut Petrus & Jacobus græce scripserunt ad dispersos judæos, sic verisimile est Paulum eadem lingua fuisse ad eos usum: maxime.

IV. Cum eodem sermonis caractere uteretur in omnibus suis aliis epistolis, ad quoscumq; eas daret: proinde sicut scripsit græce tam ad Romanos, quam Hebræum suum Timotheum: sic creditur & heic græce scripsisse ad Hebræos suos populares.

V. Redolet stylus ac dictio hujus epistolæ, eloquentiam

non hebræam, sed græcam, uti constat peritis literarum græcarum, & expresse testatur Eusebius, hist. Eccles. lib. 6. c. 23.

VI. Si hebraice fuisset hæc epistola scripta, plures quam qui inveniuntur, in ea occurrissent Hebraismi. ἐν θεωρείᾳ ἀσπίφεια &c. καὶ ἐν Διέ. δ' ἀπὸ ἑβραϊσθ' ὀγλώττης εἰς τὴν ἐλληνίδα μεταφρασθῆναι. πολλά γὰρ τῶν ἐκείνης ἰδιωματῶν παύση ἐκ ἐναρμόζισθαι, ὅθεν καὶ ἡ ἀσπίφεια πηλείαι. legitur in supra citata Sinopsi. Ast nunc fere non alii hebraismi inveniuntur, nec in hac epistola, nec in toto N. Testamento, quam quos ante expressissent 70. interpretes (à quibus noluerunt discedere scriptores sacri, quod viderent utile esse æmulari phrasas, usitatas in Synagogis Judæorum, disperforum per gentes, vide exempla: Syrach. 28: 13. 1. Maccab. 5: 28. Luc. 21: 24. Heb. 11: 34.) vel quos hebraismos jam tum fecisset hoc tempore sensim succumbens lingua hebræa.

VII. Nec citatur hic V. T. scriptura, semper juxta fontem Hebræum, sed frequentius juxta versionem 70 interpretum, uti exempla passim obvia, manifeste docent, conf. Heb. 9: 13.

VIII. Nomina hebraica *Melchizedeck* id est, rex justitiæ, & *Salem* id est, pax, interpretatur epistola ipsa: id autem non fecisset, si primitus hebraice scripta fuisset: fuisset quippe supervacuum hebræis græce interpretari hebræa, scribit Casaub. in Exerc. pag. 485. conf. Smid. in N. T. pag. 2.

IX. Nec quisquam veterum est, qui testatur se vidisse hujus epistolæ exemplar hebræum.

Finis generalis indicatur 2. Tim. 3: 16, Rom. 15: 4, & hic passim elucescit. |

Specialis finis est (1) tradere doctrinam de persona & officio Christi sacerdotali (2) consequenter redarguere illos, qui Mosaica cum hisce novis miscebant. ac (3) erigere populares judæos, ab aliis sui sanguinis, misere oppressos.

Obje-

Obiectum hujus epistolæ sunt illi, ad quos ea est missa.
intentione *proxima* mittebatur hæc epistola ad Judæos Jeru-
solymitanos, Heb. 13: 19. 23. *remota vero* intentione mittebatur
illa ad judæos, per orbem terrarum dispersos, 1. Pet. 1: 1.
sicut adhuc *alia remotiori*, mittebatur eadem etiam ad nos,
in angulis mundi habitantes, Joh. 20: 31. 1. Cor. 10: 11.

Locus. Est est Italia missa per Timotheum.

Tempus. quo tempore scripta est, non perinde nobis liquet:
tantum probabilis conjectura est, quod scripta sit post ple-
rasq; epistolas Paulinas alias. Ast quod ante excidium Je-
rusolymitanum sit adornata, constare putamus documentis
certis. (1) Capp. 10. & 12. consolatur judæos conversos
ab infidelibus sui nominis aliis, graviter oppressos. (2) Ur-
get abrogationem sacerdotii & sacrificiorum veteris legis.
(3) Ostendit cap. 8: 4. ut & capp. 7. 9. 10. 13. etiam tunc
extitisse, qui munera secundum legem offerebant: quo-
rum omnium nihil opus fuisset, si post excidium fuisset
conscripta, nam ut tunc miseram tristemq; conditionem
singulorum, communis funesta calamitas sic æquabat, ut
alii alios vix possent insigniter vexare; sic urbe eversa, &
templo destructo, allegatis mandato divino ad certum lo-
cum, Deut. 14: 23. Psal. 122: 3. seqq. non suppetebat, quo
vel munera offerrent, vel ubi sacrificarent. Sequitur.

I. N. J.
COMMENTARIUS
IN
S. PAULI EPISTOLAM
AD
HEBRÆOS.
CAP. I.

In hoc capite primo, confertur Evangelium Christi, cum revelationibus divinis, in V. T. factis: & Christus quoq; ipse, sed ante quoad utramq; suam naturam, ac officium, graphicè descriptus, confertur cum Angelis, nobilissimis Dei creaturis. Ita verò instituitur utraq; hæc collatio, ut tam doceatur præcellentia Evangelii; quam confirmetur divina Christi Majestas; quod ille sit verus Deus, 1. Joh. 5: 20.

Partes ergo constitui possunt duæ: I. Tradit prærogativam Evangelii, vers. 1. II. Docet Majestatem & prærogativam Christi, usq; ad capitis finem.

I. PARS

De prærogativa Evangelii.
EXPLICATIO.

Doctrinam Propheticam *Judai* multum extollebant: neq; did temere; quandoquidem per eam sapius revocabantur ab erroribus, ac Deo restituebantur: hinc *Josaphat*, *annon est hic propheta Jehova, ut consulamus Jehovam ex eo?* 2. Reg. 3: 11. doctrinam verò *Mosis*, qui prophetarum facile princeps fuit, sic amplectebantur, ut eadem sapius etiam

insolenter superbirent, Joh. 9:28. seq. non dubitavit tamen Paulus Apostolus, postquam constituit illis commendare Christum, ut N. T.^o mediatorem ac pontificem; cum omnium prophetarum scriptis, tum imprimis legalibus Mosis, præferre N. T.^o doctrinam Evangelicam. Sed sciebat se non parum invisum esse suis Hebræis, propter ceremonialia, quæ illi tenaciter retinebant, & ipse, contra, docebat debere iri antiquatum; vide certamen Act. 13: vers. 38. ac 45. Sub exordium itaq; parat sibi benevolentiam eorum, nominando Deum, pangentem nobiscum foedus, Psal. 89: 4. Deut. 5: 8. nominando patres, in foedus receptos, Joh. 8: 39. Prophetas foedus gratuitum annunciantes, & nominando Filium Dei, foedus illud confirmantem, Rom. 15: 8. Quæ omnia sicut ut conversis Judæis fuerunt grata; sic facile illis persuadere potuerunt, præconem eorum, non tantum non odio habendum esse, sed contra quoq; audiendum: ac propterea se non damnandum, si illam doctrinam traderet, quam Deus olim patribus revelasset. Sic vero benevolentiam illorum affectat, ut tamen nusquam à scopo suo, vel quicquam divertat. Ergo juxta institutum suum, ad prærogativam Evangelii docendâ, se accingit: verum hanc doctrinam illi, nec adsequebantur præjudiciis occupati; nec volebant, arrogantia Pharisæicâ inflati; Apostolus igitur hic statim in frontispicio, nobiliores esse N. T.^o revelationes, tribus argumentis probat; & sumit argumentum.

I. Ex Ratione Numeri: Multifariam Deus olim locutus est. Ut non omnes voluntatis suæ nuncios ac interpretes, Deus semel in V. T. misit; sic nec omnia simul iis revelavit, quos misit: sed quædam esse ad tempus signata, partim permisit, Esa. 29: 11. partim voluit, Joel. 2: 28. conf. 1. Pet. 1: 10. seqq. 1. Cor. 15: 51. scilicet juxta œconomiam, quam ipse pro immensâ sua sapientia, voluit adhibere, non uno eodemq; tempore, æque plenam & claram mensuram Evangelii, hominibus.

nibus olim annuntiavit; sed pro variis Ecclesiæ ætatibus, primum parcius & obscurius; deinde plenius & clarius, doctrinam suam hominibus patefecit, servans semper rationem, quæ quamlibet Ecclesiæ ætatem, juxta institutum, potuit decere. Voce itaq; *multifariam*, complectitur hic Apostolus varios *patefactionis gradus*; atq; sic occasione illorum, respicit ad *diversas personas*, quæ mittebantur; ad *diversa tempora*, quibus mittebantur illæ diversæ personæ; & ad *diversas doctrina partes* de Christo, de ejus persona, de ejus officiis, ac beneficiis &c. In hunc modum per diversa subjecta, diversis temporibus, & per partes, non est revelata in N. T. doctrina Evangelica; sed per Christum *solum, semel & simul*, quoad Judæos, est illa proposita ac promulgata: præstat igitur hæc illis per varias personas, diversis temporibus, coagmentatis revelationibus antiquis.

II. *Ex Ratione Modi*. Deus olim *multis modis est locutus*. Vult Apostolus per hanc locutionem, *multis modis*, patefactionis *diversas formas, diversosq; modos*, innuere. Tres revelationis modos diversos, *somnia, visiones & sermonem de ore ad os*, Deus ipse narrat, Num. 12: 6. seqq. quorum duo priores fuere communiore, & magis usitati, ut constare potest, ex Job. 33: 15. Jer. 23: 16. Dan. 1: 17. Joel. 2: 28. Sed vero postremus, qui ibidem in Numeris vers. 8. notatur, fuit singularis: quandoquidem per illum, excellentiori & clariori ratione, quam cuiquam alii, Deus soli Mosi, se revelavit: sed tamen præter illos tres recensitos, fuerunt plures alii, quos similiter in scripturis, nobis monstrat S. Sanctus; addi ergo possunt: *Urim & Thummim* in pectorali summi Sacerdotis, Exod. 28: 30. per quæ ille consulebat Deum, Num. 27: 21. & ex quibus Deus consulenti respondebat, 1. Sam. 28: 6. *Arca fœderis* Exod. 15: *Rubus ardens*, Exod. 3: 2. seqq. nam: per rubum, qui contemptus est, quod non ferat uvas;

Luc. 6: 44. figurabatur contemptissimus Israëlitarum in Ægypto, status: & 2. eo, quod ille non consumebatur igne, quia Deus erat in medio ejus, revelabatur, quod Israëlita mirabiliter per Deum custodirentur, &c. *Nubes & columna ignis*, Exod. 14: 19. seqq. *Phantasmata & imagines Prophetarum*, Exod. 4: 6. 8. Per hos pluresq; alios modos, agebat Deus olim cum patribus; ac per tres primos plerumq; expediebat negocia salutis æternæ; cæteris vero rarioribus, fere unice utebatur, ad peragenda negocia secularia, vide Ezech. 12. 24. seqq. Sed vero his singulis auscultare ac attendere, fuit patribus non parum molestum, præsertim cum difficultatem quandam facerent multitudo & diversitas. Ast nunc est vox Filii instar omnium modorum antiquorum, & nos liberati, tam à multitudine, quam varietate, quibus gravabantur patres nostri, confer Act. 20: 20. Concludit igitur Apostolus doctrinam Evangelicam modernam, ratione certitudinis ac facilitatis, revelationibus prioribus, immensum variantibus longe esse anteponendam.

III. *Ex Ratione Ministrorum*. Olim Deus est locutus per Prophetas, nunc vero per Filium, ut vulgo habent versiones. *Quomodo Deus olim revelavit se Prophetis*, docent passim Scripturæ exempla. Noë revelavit Deus, quod esset inducturus diluvium; Gen. 6: 3. Abrahamo & Lotho, quod esset concrematurus Sodomam &c. Gen. 18: 20. seqq. Jonæ indicavit subversionem Ninivæ, & Amoso excidium 10. tribuum, nisi agerent pœnitentiam, &c. Et consuevit Deus per prophetas denunciare populo suo gravissimas pœnas, quæ imminabant, ut populus de iis præmonitus, resipiscendo eas averteret: Undè scribitur, *non facit Deus quicquam, nisi suis servis Prophetis, ante revelavit*, Amos 3: 7. Atq; propter has etiam revelationes divinas, Prophetis factas, dicitur sermo Dei eis revelatus, 1. Sam. 3: 7. *Quin & Evangelium*, est Deus olim per Prophetas,

tas, patribus concionatus, vide Ole. 2: 19. Esa. 61: 1. &c. Magni igitur illi viri fuerunt coram Deo, & Hominibus, sed qui *quantitâ* fuerunt iidem cum Christo comparati? (1.) Et si fuerunt illi à Deo docti, & qui sic potuerunt res divinas, & mysteria abstrusa, per divinitus sibi datam scientiam, feliciter pandere: tamen tantum finitâ gavisi sunt scientia; at in Christo reconditi sunt omnes sapientiæ thesauri, Col. 2: 3. (2.) Fuerunt illi tantum ministri & servi; at Christus est æternus filius & hæres, conf. inf. c. 3: 5. seqq. Quanto itaq; Filius seu Dominus, est dignior prophetis seu servis; tanto quoq; (concludit) est prædicatio per Filium facta, dignior altera illa revelatione, promulgata olim per Prophetas. Atq; ita tribus argumentis, per antithesin temporis præteriti, innuit ac probat Apostolus, N. T. conditionem esse potiorem conditione veteri: sicut quoq; ea, laus Deo, nunc est conditio N. T. ut nulla certior, clarior aut perfectior, amplius requiri, aut optari, nec debeat, nec possit; Illuxit quippe nunc omnibus hominibus, salutaris Dei Gratia, Tit. 2: 11. Et habemus omne Dei consilium nobis revelatum, Act. 20: 20.

Ceterum circa argumentorum textum observa (1.) *Quod loquelam tribuat Deo*, dum dicit, quod Deus nunc & olim sit locutus. Loquela nostra sumitur proprie pro facultate, aut actu, quo efferimus sensa animi: similiter ubi Deus voluntatem ac animum suum, nobis aperit, Hab. 2: 1. & is ἀνθρώπων πνεύματι loqui dicitur; sicut etiam eum sæpius fuisse locutum, hic locus clarissimè docet. (2.) *Quod Deum locutum fuisse scribat ad nos (mediate) per Prophetas & Filium*: Ut olim immediato alloquio Deus dignabatur Mosen, Exod. 3: 4. sic per Prophetas locutus est postea veteribus palam, Esa. 45: 19. & per Christum postremis temporibus se quoq; nobis revelavit, Joh. 1: 18. Toto vero genere, distat locutio divina, per prophetas & Filium, à responsis olim factis, per oracula, sicut &

& locutionibus Vatum; prout hæc à gentilibus explicantur: Disputant illi 1. *An Genij juxta Hesiodum, animæ circumvagantes & aëre vestita, Vates furore & imaginatione futurorum impleant, & per oracula sic respondeant, ut deserentibus genus, tanquam instrumenta artificum, illa jaceant otiosa & muta?* qui affirmant; hanc vim divinandi, ajunt, non adipiscitur animus è corpore tanquam nube egrediendo; sed jam nunc ea præditus, cœcatur ob permixtionem & confusionem, cum natura mortali, &c. 2. *An vero terra, quæ multarum aliarum facultatum fontes hominibus effundit, non simul divinandi fluxum, spiritum sanctissimum ac divinissimum, sive seorsim per aërem, sive cum liquore, majorum instituto Dea, effundat, atq; ita eo homines oraculaq; repleat?* qui affirmant, juxta hanc opinionem, ajunt, refrigeratione & densatione spiritus, ad instar tincturæ ferri, vim præscientem animo indi ac durari: multum quoq; juvari illam attemperata corporis constitutione: sicut contra extingui magnis imbribus, dissipari fulmine locis ictis, nec non subsidere in sese, aut elidi prorsus, per terræ motum, &c. Sic disputant illi juxta naturæ ductum, satis ingeniose, ut videre est apud Plutarch. de Orac. defect. Sed vero locutio nostra divina, neq; fit per aliquos genios, neq; per exsipientem ex terris aliquem spiritum: Sed Deus ipse est, qui per prophetas & Filium est locutus. (3.) *Observa quod phrasin Apostolicam: Deus locutus est in Prophetis & Filio, etsi communiter vertant & explicent, per hanc: Deus locutus est per Filium & per prophetas;* longe tamen major est illius Apostolicæ locutionis vis ac emphasis, quam ut hæc altera, sensu communi & vulgari, illam valeat æquare: nam primo potest princeps, qui loco & tempore abest à suo legato, aliquid per suum legatum loqui; ita vero non abest Deus, dum loquitur per Filium, aut per prophetas: Deinde accedit sermo principis forinsecus, & circumstrepit primum audientium aures, quam potest ad mentes illo-

rum venire: *divinum vero colloquium fit intus, & tantum mentis auriculas ferit ac attingit*, scribit pulchre Theophyl. ad Habac. 2: 1. Quamquam itaq; præpositionem *in* aliqui hic explicent: per præpositionem *per*: vel 1. juxta aliquem hebraismum, ut scribunt multi: vel 2. juxta consuetudinem probatorum Auctorum, hæc præpositiones in instrumentalibus, promiscuè usurpantium, uti observant Critici; vel 3. per Metonymiam, quasi Deus locutus sit in Prophetarum libris; majus tamen quid videtur hac phrasi Apostolica exprimi: nimirum id, *quod Deus in illis sit locutus, & quod illi locuti sint, ducti à Spiritu Sancto*, 2. Pet. 1: 21. Non igitur nos *putamus puerile & fatuum esse, opinari ipsum Deum in corpora vatum, (in animos prophetarum) se immittere, eorumq; ore loqui, & voce, pro instrumento uti*, sicut differit Lamprias de Orac. def. apud Plutarch. p. m. 637. Sed revera credimus illos à Deo fuisse occupatos, & Spiritum Sanctum suggestisse omnia, quæ loquebantur. (4) *Nota, quod locutio divina mediata, pro diversitate causarum organicarum, multum variet.* Equidem omnibus adest Deus, per quos loquitur, & linguis quoq; ac animis eorum insidet, ut loquantur, acti à S. Sancto, 2. Pet. 1: 21. tamen 1. communi ratione adest Deus piis, qui coram magistratibus, eum confitentur, dum largitur iis, quid loquantur: imo, ipse in iis loquitur, uti habetur Matth. 10: 20. 2. Dum vero dicitur Deus locutus in Apostolis, 2. Cor. 13: 3. in Prophetis, 1. Pet. 1: 11. intelligendum id factum esse speciali quadam ratione: extraordinario enim afflatu, & speciali immediata inspiratione, voluntatem suam illis revelavit: Quare quoq; *per os eorum dicitur locutus* Luc. 1: 70. 3. Ast in Christo, ut fuit & habitavit divinitas corporaliter, Coloss. 2: 9. sic adhuc magis singulari ratione, Deus est per illum, & in illo, nos allocutus. (5) *Nota, quod etsi b. l. non exprimat Apostolus quid vel olim in Prophetis, vel postea in Filio, Deus sit locutus;*

locutus; Supponit tamen intelligi debere non alia, quam quæ de essentia divina, & voluntate; de Christo ejusq; regno Spirituali, &c. nobis sunt revelata; quandoquidem hæc talia, natura duce, non possunt cognosci, aut intelligi; vide Prov. 30: 4. ac conf. Sap. 9: 13.

QUÆSTIONES.

1. *Cur utitur Apost. exordio tam abrupto, & juxta fidem datam, 2. Theff. 3: 18. receptamq; consuetudinem, in alijs Epistolis, nec præmittit salutationem, nec nomen suum adscribit?* R. (1) Ad fidem

plerorumq; codicum antiquorum, credimus Apostolum etiam in hac epistola, fidem & morem suum servasse: fato vero illa prima intercidisse, & sic exordium factum solito abruptius. (2) Si quis ostendere posset, sufficienti antiquissimorum codicum productione (quod hoc tempore vix est possibile) Apostolum de industria, salutatione & nominis adscriptione abstinuisse, illi responderemus, suspicari nos non aliam ob causam, eum id fecisse, quam quod ageret cum sibi invisus, atq; hinc noluisse eum, per solennes notas, se mox prodere, ne antequam lectio animos eorum nonnihil molivisset, illos offenderet: vide Gerh. in L. L. de S. Sacra, thes. 277. Dannah. in idea boni interp. ac conf. præf. nostram, super Epist. hujus causam instrum.

2. *Si Pater est locutus in Prophetis; & in illis non est locutus S. Sanctus, ait Franciscus Davidis.* R. (1) Et Patrem, & S. Sanctum fuisse locutos, asserit Scriptura: de Patre est præfens locus illustris: quod vero S. Sanctus similiter sit olim locutus, habetur 2. Sam. 23: 2. & 2. Petr. 1: 21. (2) Non sunt Pater & S. Sanctus tanquam diversi Dñi, opponendi sibi invicem: cum uterq; unus idemq; Deus sit, quoad essentiam; & differant personæ illæ tantum quoad ὑπόστασις: 1. Joh. 5: 7.

3. *Cur Deus non dicitur loqui per Apostolos in N. T. sicut dicitur locutus per Prophetas, in T. Veteri?* R. Quamquam in N. T. similiter per Apostolos Deus sit locutus, 2: Cor. 13: 3. Sic tamen hac vice loqui noluit Apostolus, postquam constituit Christum cum doctrina, testamento ac Sacerdotio suo, Mosi & omnibus Moisaicis, antepone.

4. *Cur opponuntur Prophetæ Filio Dei, cum & ipsi sint filij Dei?*
 R. Illi sunt filij adoptivi: Christus autem est Filius Dei naturalis,
 & sic verus Deus, conf. inf. cap. 3: 6.

5. *An igitur ut Christus est N. T. præco; sic fuere prophetæ solius T. Veteris præcones?* R. (1) Prophetas extitisse etiam in N. T. to, clarum est ex exemplis, Agabi, Act. 11: 28. & filiarum Philippi, Act. 21: 9. nec non ex Johannis Apocalypsi; ubi sane multa vaticinia, prophetica ratione, indigitantur. Sed hic (2) Dist. est inter prophetarum diversa objecta. Veteres prophetæ vaticinati sunt de venturo Messia; at N. T. Prophætæ, de venturis aliis; quare Apostolus non hos opponit Christo, sed illos, cujuscunq; ætatis fuerint, sive olim vixissent, sive exoriantur posthac; omnes enim hi tales, qua Evangelii promulgationem, Christo recte opponuntur, Gal. 1. 9. Et sic recte dicitur, *Lex & Prophetæ usq; ad Johannem*, Matt. 11: 13.

6. *Si demum ultimis diebus Deus est locutus per Filium, annon igitur per eundem, est ante locutus?* R. (1) Ex collatione locorum V. & N. T. præbari potest, Filium Dei, etjam in Veteri T. fuisse locutum, conf. Esa. 45: 23. cum Phil. 2: 10. & Zach. 12: 10. cum Joh. 19: 37. (2) Dist. inter diversos Christi modos. In V. T. loquebatur ille, ut *verbum Dei ἀσφαρον*, in N. vero T. locutus est idem ut *verbum εὐσφαρον*, Joh. 1. 14. conf. Tarnov. Comment. in cap. 1. Joh. quæst. 2. *Inst. E. non fuit Filius Dei, neq; Angelus ille, qui cum Mose loquebatur ex rubo, Exod. 3: 3. nec sapientia illa, quæ tempore Salomonis instruebat homines, Prov. 8: 10. seq. Vide Enjedinum in expl. loc. V. & N. T. Sed R. male ille ex unius naturæ modo, concludit de totius suppositi conditione; nec videt, quomodo Apostolus h. l. tantum agit de Christo incarnato. Ante incarnationem vero idem & de rubo est locutus, & homines sapientiam docuit:*

7. *Si Deus olim se revelavit per loquelam ac mox per Scripturam; E. non per suam naturam se manifestavit.* R. arguit sic Socinus; sed opponit, quæ sunt subordinata: utroq; enim modo, tam per naturam, quam loquelam, Deus se olim revelavit; conf. Tarnov. Comment. in cap. 7. Joh. quæst. 9.

OBSERVATIONES.

I. *Testamentorum revelationes non sunt sibi invicem opponenda:* Quamquam in hunc modum tripliciter Apostolus extollat revelationem N. T.^{ti}, præ revelationibus antiquis, ac olim in V. T. factis, non tamen vult hanc illis opponi debere: Sed quemadmodū *Deus sibi perpetuo constat*, Mal. 3: 6. vultq; *ut omnis, qui credit in Filium, habeat vitam æternam*, Joh. 6: 47. Sic est revelatio Dei tantum una ac eadem per se, illum divinum scopum loquens, quomodo nos miseri servemur, ac æternum salvemur, 2. Tim. 3: 16. Porro, sicut Deus in se simplicissimus, per accidens & ratione diversorum subjectorum ac connotatorum aliorum, variat, ut nunc dicatur justus, nunc clemens: sic per accidens & ratione diversarum personarum, temporis, modi, ac circumstantiarum aliarum, ita variat revelatio divina, ut una alteri vel pluribus, commodè anteponatur, conf. Matth. 11: 9. seqq.

II. *Conveniunt ambo Testamenta:* (1) *Respectu Auctoris*, qui idem & unus est, immutabilis Deus: hic enim est, qui & olim per Prophetas, & postremo per Filium, est locutus. (2) *Respectu doctrinae*, quæ eadem fuit ac est, in utroq; Testamento; nimirum *Lex & Evangelium*. Non tantum legem habuerunt Veteres Patres, sed etjam Evangelium, ex cujus auditu, nacti sunt fidem, per quam salvabantur, uti docetur inf. cap. II. conf. Act. 15: 11. imo, ipsæ eorum leges ceremoniales, fuerunt Evangelio vestitæ; crucifixerunt enim Christum typicæ, in oculis Israëlitarum: Atq; ita ut *Agnus fuit ab initio mundi mactatus*, Apoc. 13: 8. Sic quoq; ab initio mundi, fuit doctrina de Agno mactato, revelata; atq; etiam ideo dicitur hæc doctrina, *Evangelium æternum*, Apoc. 14: 6. conf. 1. Cor. 2: 7.

III. *Discrepant tamen eadem duo Testamenta, in quibusdam exterioribus*, sicut h. l. docet Apostolus. Ac (1) *quod in V. T.*

per partes ac gradus, Deus voluntatem suam manifestavit: At in N. T. revelatione una, per Filium institutâ, semel omnia absolvit, Joh. 6: 45. (2) *Quod in V. T. multis variisq; modis*, per visiones & somnia, per ceremonias legales ac Evangelicas &c. populum suum Deus erudit: At in N. T. abolitis umbris legalibus, per legem, Evangelium ac Sacramenta, nos docet simpliciter, Matth. 5: 17. seqq. Matth. 11: 28. 1. Joh. 1: 7. Matth. 28: 19. (3) *Quod olim egit Deus per Prophetas*, & sic nonnihil obscurius, quatenus illi in futuris prædicendiserant occupati; vide Esa. 40: 3. At hodie agit nobiscum clarissime per Filium; Matth. 3: 3. qui propterea testatur sonora voce, *se implevisse omnia, quæ de se Prophetæ fuerant vaticinati*, Joh. 19: 28.

IV. *Felicior est conditio nostra, conditione veterum*: nam (1) dum illi non satis erant instructi libris sacris; sed subinde addendis pluribus inhiabant, Deut. 18: 15. Esa. 45: 8. nos copia librorum sacrorum abundamus feliciter, 2. Tim. 3: 16. seq. (2) Dum mysteria fuerunt illis tectiora, quatenus vel typis plerumq; fuere involuta; vel propter eventam suspensa; nobis sunt eadem nunc clarissima, typis quippe nudata, ac eventu comprobata, Joh. 20: 31. (3) Dum illi Filium expectarunt, nos habemus eum præsentem. O nos felices, qui tantis bonis fruimur, ac tantam præveteribus, habemus prærogativam!

V. *Videmus S. Sacræ certitudinem ac infallibilitatem*: Summæ certitudinis ac omnimodæ infallibilitatis est S. Sacra; quippe quod à Deo omnis, & tota, dependet: Si in hoc commercio rerum nostrarum cum Deo, vim interpretem ac administram Deus usurpasset: metuere nonnihil potuissemus, ut falleremur. postquam vero, sine ulla ullius confusione ipse voluit *per suos, ac in suis, loqui*, jam relinquit nobis sermonem sanctiorem ac certiore: Ut enim Deus ipse non potest

errare aut fallere, Tit. 1: 2, sic nec fallunt, aut nos decipiunt, verba ejus, in scripturis nobis revelata. *Sed dicit*, certa ac vera esse illa efficienter, quatenus proficiuntur à S. Sancto, contrahere tamen postea eadem aliquem errorem, aut ad minimum erroribus esse opportuna, propter causas instrumentales, prophetas ac Apostolos, per quos Deus antè est locutus. *Sed sic verba Christi primum* ab erroris ac fallibilitatis suspitione, rectè vindicantur: fuit ille sine dolo, & ita non potuit juxta rationem hanc, instrumentaliter corrumpere id, quod Deus per ipsum revelavit. *Ast non minus* ab erroris suspitione, liberanda quoq; sunt verba Apostolorum ac Prophetarum: nam quamquam per eos locutus sit Deus, non tamen sic per eos locutus est, ut illi inter loquendum relinquerentur suæ alicui libertati, in pravum inclinanti: Sed ipse Deus in eis est locutus, singulari ratione influens in suppeditando sensu, ad quem pronuntiandum, *illi postea agebantur* à S. Sancto. 2. Pet. 1: 21.

II. PARS

De Christi divina Majest: & prærogativa præ Angelis.
EXPLICATIO.

Propter humilem Christi in terris conversationem, contemnebant eum judæi, tempore exinanitionis ejus, Luc. 4: 22. Paulus igitur quo illustriorem ostenderet ejus eminentiam, justis ac Majestate plenis encomiis, eum hac parte altera ornat: ac describit eum dupliciter, nim: *absolute ac comparate*; secundum quam duplicem descriptionem, etiam nos paulo præter morem nostrum, hanc partem posteriorem, quoad exegesis, sejungimus. Præcedit

I. DESCRIPTIO ABSOLUTA.

Absolute ac respectu sui, Christi naturam & operum præstantiam, deprædicat Apostolus, dum dicit, quod fuit ac sit

I. Hæres Omnium, vers. 2. ubi nota (1) *Secundum quam naturam dicitur hæres?* Sunt qui hoc encomium ei tributum putant, tantum secundum divinam ejus naturam; maxime quod posterius membrum, *condere secula*, similiter divinam, & non humanam ejus naturam attingat, vide Zanch. de trib. Eloh. lib. 5. Nahum h. l: ac conf. Bellarm. lib. 1. de Christo, cap. 6. Sed recte à nostratibus *ad assumptam humanam naturam hoc refertur*; quia secundum hanc posuit eum pater Dominum omnium, Act. 2: 36. Matth. 28: 18. Secundum divinam vero suam naturam, jure creationis, fuit Dominus omnium, tam rerum, quam personarum. (2) *Quomodo dicitur hæres?* hæres dicitur, non quasi in demortui patris bona vel successerit, vel sit successurus unquam, quemadmodum in bona parentum, illis extinctis, nos liberi succedimus jure, Prov. 19: 14. conf. Gen. 31: 14. & Matth. 21: 38. Sed 1. alluditur ad nomen Filii, quod habetur versu superiori, cui hæreditas competit, Gal. 4: 7. ut sicut Christus homo, est Filius Dei altissimi Luc. 1: 32. sic quoq; ei qua homini, debetur in omnia hæreditas. 2. Sicut olim non existentibus liberis, bona tradebantur ex familia propinquiioribus aliis, Num. 27: 1. seq. ita Filio suo, considerato juxta humanam naturam adoptatam, & in unionem personalem assumptam, ceu sibi proximo, dedit Deus hæreditatem in omnia. 3. Sicut olim liberis non existentibus, hæreditas etjam ad servos descendebat, Gen. 15: 3. maxime si prudentes & fideles fuissent, Prov. 17: 2. Sic ob fidele ministerium, est quoq; Christus qua homo, instar hæredis, à Patre omnium Dominus constitutus, conf. Joh. 5: 22.

II, Creator Mundi, vel, quod pater per eum condidit secula, vers. 2. Progreditur nunc Apostolus ab humana natura Christi, ad divinam; ostenditq; quod sicut secundum humanam naturam, pater constituit eum hæredem omnium; sic per ipsum, consideratum secundum divinam naturam, fecit

secula, Joh. 1: 3. & 10. Sed nota (1) *quod per secula intelligantur omnia creata*; tam invisibilia, quam visibilia, quæ hac mundi machina terminantur; quandoquidem hæc omnia, temporum revolutionibus durant, ac continuantur; sicut quoq; seculorum decursibus absolvuntur, vide inf. 11: 3. & Tit. 1: 2. (2) *Nota, quod pater condidit mundum per Filium, non tanquam per instrumentum*, ut olim senserunt *Arriani*, ac contendunt etiamnum *Sociniani*: Sed tanquam per consubstantialem suam virtutem ac sapientiam, Prov. 27. Particula igitur *per* hic nihil aliud notat, nisi summum efficaciam gradum in opere creationis producendo, ac proinde 1. *creata omnia*, tam dicuntur esse in Filio, Coloss. 1: 16. quam per ipsum facta, Rom. 11: 36. 1. Cor. 8: 6. Sicut & 2. *ipsa creatio* inf. vers. 10. in casu recto de Filio prædicatur, dum dicitur: *Tu fundasti terram* &c. conf. locutiones similes, Joh. 5: 17. Apoc. 4: 11. Hic itaq; locus phrasi, *per quem secula condidit*, non extenuat divinitatem Christi, sed eandem firmat, tantumq; dicit, quantum scribit Johannes: *Omnia per eum facta sunt, & sine eo factum est nihil quod factum est*, cap. 1: 3. conf. Ephes. 3: 9.

III. *Patri Coessentialis* vers. 3. unde dicitur (1) *Resplendescencia gloria ejus*. Primum confertur hic Filius Dei luci, sicut in Symbolo Niceno vocatur, *lumen de lumine*: attenditurq; in hac comparatione, *cum primis* ad æternam Filii, ex essentia Patris, generationem, Psal. 2: 7. nimirum quicquid gloriosum in Deo patre est, id solide & perspicue relucet in Filio; quare sicut Pater est æternus, infinitus, sapientissimus, &c. Sic inveniuntur hæc omnia Deitatis attributa, in Filio, Patris imagine substantiali. Præterea extendi quoq; potest eadem comparatio, ad voluntatis divinæ, in tempore factam manifestationem, Sap. 7: 25. seq. Fuisset quippe gloria Dei nobis ignota, si hæc Patris imago Filius Dei, ad nos non venisset; ille vero postquam in mundum venit, & nos de
glo-

gloriosa Dei voluntate docuit, jam gloriam & imaginem Dei vidimus: *qui vidit Filium, vidit etiam Patrem*, Joh. 14: 9. Deinde additur *cui luci & splendori Dei*, Christus confertur, nimirum *splendori gloriæ ejus*. E. 1. sicut lux est quasi luminis fons, & splendor à luce editur; sic est Pater Deitatis fons, & Deitatem, per æternam generationem, accepit Filius. 2. Sicut in splendore sunt ea, quæ lucis sunt; sic in persona Filii resplendet gloria, & Majestas Patris æterna. Est igitur Filius, ejus gloriæ splendor, sed substantialis; sicut substantialis est lux illa, à qua ille per æternam generationem, resplendet. (2). *Vocatur Christus, character substantiæ ejus*, ibid. Character significat non quamlibet figuram; sed eam, quæ ad archetypum ad amissin, est exsculpta; atq; sic h. l. significat impressam vel insculptam Patris imaginem, (juxta conditionem subjecti) non evanescentem, sed substantialem, ac permanentem: proinde est Filius character *εὐνοίας αἰῶνος*, ut loquitur Athanas. dial. 1. de Trin. Deinde & hic additur *cujus sit character*, nim: hypostaseos ejus sc. 1. Exactissime personam Patris refert Filius, dum essentiam cum Patre numero eandem habet, Joh. 5: 17. quin & 2. dicere possumus, quod Filius sit nobis factus invisibilis Dei imago, Col. 1: 15. quatenus in Filio nos possumus Deum Patrem videre, juxta illud Joh. 14: 9.

IV. *Sustentator Rerum Omnium*, vers. 3. Verbo virtutis creavit Deus omnia, Psal. 148: 5. Jer. 10: 12. & eodem adhuc omnia portat & moderatur, Coloss. 1: 17. & nisi Deus semel creata sustentaret, illico collaberentur omnia, sicut collapsæ fuissent manus Moysi, ubi ab *Aron & Hur* non fuissent sustentatæ, Exod. 17: 12. imo, nisi Deus semel creata conservaret, illico in nihilum redigerentur omnia; cum omnibus itaq; creatis, nos omnes adhuc *in ipso vivimus, movemur & sumus*, Act. 17: 28.

V. *Redemptor Noster*, vers. 3. dum dicit, quod per *semetipsum* fecit purgationem peccatorum nostrorum. Hactenus descripsit Apostolus Christum à suis naturis, nunc ab officiis & beneficiis, incipit eum depingere: atq; hic quidem paucis verbis, indicat *Epistola summam*: quæ est, quod *Christus sit noster mediator & sacerdos*. Tu vero (1) nota quod redemptionis opus describat per purgationem, intuens ritum V. T.^{ti} quo ceremonialiter purgabantur illi, qui contra legis præceptum, immunditiam aliquam contraxerant, ut qui de immundis animalibus comederant, Lev. 20: 25. qui immunda tetigerant, Num. 19: 16. Lev. 5: 2, 3. &c. ut hi tales lavabantur aquis; sic nos peccatis inquinati, & ita moraliter immundi, lavamur ac dealbamur in sanguine agni, Apoc. 7: 14. *Ejus enim sanguis, qui est effusus in remissionem peccatorum*, Matt. 26: 28. purgat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1: 7. (2) Memento cum paraphrasi Syriaca, & melioribus codd. alijs, servare & urgere determinatum purgationis medium, quod h. l. vulgata versio omisit, nempe quod Christus per se ipsum, hanc purgationem fecit, Heb. 9: 12. Pontifex enim noster non tantum cognoscit nostram immunditiam, sicut jubebantur Levitici inquirere in immunda, Lev. 10: 10. quod & illi fecere tam gustu, quam visu; sicut in ignominiam gentis inimica, se circa fædum quoddam opus delegatum, referre, ait Hieron. ad Algal. quæst. 10. nec more Levitico, tantum procurat nostram immunditiam purgari; sed in super per se ipsum, ejus purgationem fecit, Heb. 10: 22.

VI. *Triumphator* vers. 3. Equidem sanguinis effusionem ac mortem, acceleravit Christo, peccatorum nostrorum purgatio: Sed tamen ille in morte, de Satana alijsq; hostibus spiritualibus, triumphavit, Col. 2: 15. & ita constituit crucem vel currum triumphalem, ex quo prostratis hostibus, conspiceretur victor: vel ut loquitur Theophylactus, ante oculos omnium gentium fecit eam *publicum trophaum*, super de victos

victos hostes: Ex mortuis vero postquam resurrexit, adscendit ad cælum, & ad dextram Majestatis in excelsis confedit, Ephes. 1: 20. Heb. 8: 1, jam juxta voluntatem Dei, omnibus defunctus, de hostibus suis triumphavit gloriosus, Eph. 4: 8, Psal. 68: 19. Sed nota phrasin, *confedit ad dextram Majestatis in excelsis*: neq; vero Christus ita confedit, ut vel nunc amplius non sedeat, vel sit ibi quocunq; modo retentus, ne nunc nobis præsens adsit: *est Deus sic intra omnia, ut etiam sit extra omnia*, scribit recte Gregor. Magn. lib. 2. in Job. cap. 16. atq; sic ut ipse non potest ullo modo concludi; sic nec concludi potest dextra Dei, ad quam Christus confedit: sedet igitur etiamnum ubiq; cum patre in gloria & Majestate æqualis, conf. Symb. Nicen. Genus autem loquendi est desumptum à principibus, qui eos ad dextram collocare solent, quos in magno honore habent, & quibus post se tribuunt proximum gradum, Matt. 20: 21. Atq; ita hæc est *prærogativa Christi, respectu utriusq; nature, potissimum verò divinæ, nec non respectu officij, absolute illustrata*, per sua nonnulla justa encomia ac axiomata.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 2. *Quando est Christus hæres omnium factus?* Christo secundum humanam naturam, datum & collatum est primo incarnationis momento, dominium in omnia: unde in lucem prognatus, vocatur ab Angelo Dominus, Luc. 2, 11. sed tamen plenariam collati domini usurpationem, non ante exaltationem suam, ille intravit, Phil. 2: 9. conf. F. conc. p. m. 799. *Dicitis*: ab æterno factus est Christus hæres, quandoquidem hæreditas ad eum pertinet jure generationis, quæ fuit facta ab æterno; i. e. Ille est hæres factus per & propter generationem æternam. R. Christus creator secundam divinam naturam, minus recte hæreditat de suis operibus: quamquam ergo in naturalibus filiationem sequatur communiter hæreditas, & sic liberi per hæreditatem, solo filiationis titulo occupent, quæ nunquam promeruerant: expirat tamen ea commuuis ratio, in

hoc exemplo superregulari; & quemadmodum in humanis, sæpe extra naturalem filiationem, in hæredes cooptantur, vel proximi; vel servi fideles; sic ob adproximatam personaliter humanam naturam, fidelitatemq; operum, hæres omnium constitutus est Christus homo.

II. Vers. 2. *An est Christus unigenitus Dei Filius, tantum ob hanc hereditatem, ut vult Socin. in ref. Bellarm. pag. 210.* R. (1) Materialiter est filiatio causa hereditatis, non contra: unde (2.) hereditas solum ponit possessionem & dominium, non filiationem; (3.) Sumus nos cohæredes Christi; Rom. 8: 17. Solo igitur hereditatis titulo, non potest Christus dici unigenitus Dei Filius.

III. Vers. 2. *Annon hic locus vanitatis arguit Valentinum, Secundinum & Marcum hereticos; qui statuerunt æonas i. e. secula, creatore esse antiquiores?* R. Ita facit, & sic quoq; olim collegit Theodoretus hæret. Fabul. lib. 5.

IV. Vers. 2. *Annon hic intelligitur creatio secunda?* R. Volunt sic *Arriani, ut patet ex Serveti libello:* Sed (1.) nusquam in scripturis per seculum, intelligitur regenerationis subjectum, homo: & (2.) veram hic intelligi creationem, ostendit Apostolus, dum ex Psal. 102: 26. probat à Christo fundatam esse terram.

V. Vers. 2. *An Pater fecit mundum per Filium, tanquam per instrumentum?* R. Sic volebant olim *Arriani & Aëtiani*, qui propterea sinxerunt Christum primam creaturam, æterno patri sic subordinatam, quasi per eam ille condidisset reliquas creaturas: Idem fere sentiunt etjamnum *Sociniani*, vid. Ostorod. instit. cap. 11. Sed nota (1) particula *per*, non semper notat causam instrumentalem, ut patet ex Heb. 2; 10. Gal. 1: 12. (2) Non potest Filius instrumentum Patris esse, propter identitatem essentiae; Unde, sicut Pater non est sui ipsius instrumentum, nec pro instrumento utitur S. Sancto: sic nec erit Filius instrumentum, propter essentiam, quam habet cum Patre & S. Sancto, communem: Atq; sic (3) particula *per* notat in his divinis, non dissimilitudinem, sed summum efficaciam gradum in agendo; sicut quoq; (4) juxta revelationem S. S. Trinitatis, quoad ordinem, characteristice Filium indigitat, Rom. 11: 36.

VI. vers. 2. *An per secula intelligatur vita æterna?* R. Sic infert *Socinus*; quod secula vitam æternam utcunq; repræsentent; & quod, ut ait, hæc demum in N: T. sit per Christum restituta: Sed per se-

cula intelligit Apost. metonymice *omnia, que sunt*: conf. Heb. II: 3.

VII. Vers. 3. *Cujus imago est Filius, an Patris personaliter, an essentialiter Dei?* R. Hoc posterius assumit *Socinus*; Sed contrarium patet ex vers. 1. hujus capitis, ut & ex Joh. 17: 15.

VIII. Vers. 3. *An est Christus imago substantialis, cum substantiam Dei nobis non exhibeat?* R. Non loquitur hic Apost. de prædicatione voluntatis & promissionis præcisè, vel tantum; sed cum primis loquitur de hypostaseos existentia.

IX. Vers. 3. *Si Filius est Dei imago, jam non est Deus?* R. Est Patris imago, & tamen verus Deus, 1. Joh. 5: 20.

X. Vers. 3. Cum splendor sive radius non exæquet lucem, à qua diffunditur; quæritur: *Annon Filius qui splendor est, sit Patre minor?* R. Sic volebant & concludebant *Arriani*: Sed nota (1) quod similitudines rerum creatarum, ad mysteria divina adplicatæ, debebant ab imperfectionibus liberari, & sic (2) quod comparatio est sistenda intra suum tertium. (3) Est quoq; icopus Apostoli attendendus, qui hic fuit: ab æterna generatione, veram Christi divinitatem arguere. E. (4) ut Sol emittens radios, nullam patitur mutationem, nullum fluxum, vel luminis defectum, juxta receptum nostrum philosophandi modum: sic sine mutatione, fluxu vel defectu, genuit Pater Filium: & deinde, ut radius non est Sole posterior, sed ei coævus; sic Patri Soli æterno, ceu radius, est Filius coæternus.

XI. Vers. 3. *Quid hic significat nomen hypostasis, essentiamne, an personam?* R. Pro utraq; sententia sunt argumenta multa: Tu illa vide apud D. D. Gerhard. in L. L. Comm. Tom. I. l. 3. §. 54. Sed nota (1) quod persona Patris, non formaliter accepta, sed materialiter, ut loquuntur; sit in Filio exsculpta. h. e. essentia Patris caractere hypostatico insignita, est ibi impressa, dum per æternam generationem, Filius accepit essentiam cum Patre eandem. (2) Quanquam correlatum characteris paterni, sic character filialis: fundamentum tamen hujus relationis, est essentia Paterna, per æternam generationem, cum Filio communicata. (3) Aliud igitur est persona concrete sumpta; aliud personæ character: & (4) sicut imago quat: est vox relativa, immediate habet respectum ad personam, sic mediate respicit essentiam: estq; Filius perfectissimo modo Patris substantialis imago; quia eandem cum eo habet essentiam, conf. Cyrill. lib. 3. in Joh. cap. 29. & vide h. l. Gerhard.

XII. Vers. 3. *An dextera Dei, ad quam consedit Christus, sit definitus in cælis locus?* R. Ita putant Calviniani, & videntur sibi recte ita sentire, quare urgent adjunctam determinationem (*in excelsis*) in textu occurrentem; nec non loca alia, ut Eph. 1: 20, Coloss. 3: 1. 1. Pet. 3: 22. Act. 7: 56. Sed nota (1) Non est aliqua consequentia: Christus in Cælis sedet ad dexteram Dei; Ergo dextera Dei tantum est in cælis quærenda: procedit enim hæc illatio, *à non distributo ad distributum, vel ab affirmativa ad exclusivam.* (2) Si determinatio illa, in excelsis, constringat universaliter, abarcebit à nobis itidem Patrem, qui similiter *habitare in altis, esse in cælis, &c.* dicitur in Scripturis, Matth. 6: 9. & (3) Notanter dicitur *ἐν ὑψυλοῖς*, sed non *ὑψηλοῖς*. E. (4) Hac phrasi, non notatur loci sublimitas, sed definitur gloriæ & majestatis cœlestis, inenarrabilis celsitudo: sicut quoq; (5) *Dextera Dei* significat in scripturis omnipotens & omnipræsens in cælo & terra dominium; & federe ad dexteram Dei, notat potenter ac Majestaticè ubiq; dominari; conf. inf. cap. 8: 1.

XIII. Vers. 3. *Si Christus consedit quatenus est imago Patris: annon tum consedit secundum divinam suam naturam?* R. (1) Divina natura non potuit extolli; Sed (2) Christus qui est imago Patris, conscendit illuc, quoad humanam suam naturam: Nam (3) Sessio illa, non est *ἀποτέλεσμα* utriusq; naturæ; sed *ἐνέργεια* naturæ divinæ, cum humana, communicata.

XIV. Vers. 3. *Annon statim à conceptione consedit Christus ad dexteram Dei, sed sub forma servili?* R. Implicat, quoad idem officium sedere gloriosus, & habere formam servilem, conf. inf. c. 2: 17. & 5: 8. sequitur.

II. DESCRIPTIO COMPARATA,

et facta in ordine ad angelos; Sic vero extollit Apostolus Christum 6. modis.

I. *Respectu Hereditatis*, vers. 4. 5. Ita est Christus *excellentiore factus Angelis; sicut præ illis sortitus est excellentius nomen*: Antepreposuit Apostolus Christum Prophetis, vers. 1. nunc vero Angelis eum anteponebat, ex eo, quod cum sedisse ad dextera-

ram.

nam Dei, & verum Dei Filium esse, ante asseruisset: Sed hic nota hæreditatis (1) *Fundamentum*: accepit Christus hoc nomen Augustum, quod sit *heres omnium*; non secundum divinã naturam; quippe secundum illam, fuit ille rerum omnium Dominus: accepit igitur hæreditatem, solum secundum humanam naturam, secundum quam solam, ille potuit perfici ac augeri: & secundum hanc, dicit quoq; Christus: *Mihi data est omnis potestas* &c. Marth. 28: 18. (2) *Exercitium sub jure spectatum*. Vertit equidem *Erasmus*, *sortitus est*: sed hoc vocabulum jus & debitum hæreditatis non exhaurit. Dum igitur dicit hæreditate obtinuit, ostendit non fortuito, hanc prærogativam ei contigisse; sed unice propterea, quod *adidigeret* ☉ persona esset Filius Dei, & Filius hominis: adeoq; sicut reipsa Dei Filio, debebatur reale exercitium: sic propter identitatem personæ, debebatur idem Filio hominis. (3) *Nota hæreditatis objectam*: Tale fuit nomen quod obtinuit, ac præ Angelis fuit, non tantum melius, ut vertit Versio vulgata; sed *excellentiùs ac præstantius*, sicut de ministerio ejus ac fœdere, loquitur infra cap. 8: 6:

II. *Respectu Cultus Adorationis*, vers. 6. Est Christus Dominus universi, Psal. 97: 7. quare recte adorant cum Angeli, ibi apud Psalmistam, *Elohim* dicti, conf. Apoc. 5: 12. Atq; hic quidem cultus naturà & primo debetur Christo, ut Filio Dei; sed tamen, quod propter arctissimam naturarum unionem, ac priorum communicationem, Ei etjam ut Filio hominis, idem debeatur, ex hoc versiculo liquet præclare.

III. *Respectu Officij*, vers. 7. 8. 13. 14. *Angelorum officium est ministrare* Psal. 110: 4. *Christi vero officium dominari in justitia & æquitate*, Psal. 45: 5. 7. Sed hic nota (1) *Quaquam scribat Apostolus vers. 7. dicit ad Angelos, recte tamen verti, dicit de Angelis*, non tantum propter hebraismum, qualis occurrit Esa. 47: 7. Sed &, quod in hunc modum Evangelistæ & Apostoli

ſæpius loquantur, vide Luc. 18: 9. & cap. 20: 19. Heb. 4: 11.

(2) *Quaquam ordine constructionis i. in verso, vertere possumus; faciens suos spiritus nuncios, & flammam ignis i. e. fulgura flammantia, suos ministros; ex occasione, quod in contextu de lumine, cælo & aquis videatur agere, & quod hæc præterea, verbum Dei dicantur exequi, Psal. 148: 8. 2. quaquam ordine constructionis immutato, vertere possumus; natura spirituales & igneos faciens suos nuncios & ministros; ex occasione, quod Filius Dei Angelis ut ministris, opponatur: tamen sicut observamus Psal-mographum in sensu literali de Angelis agere; sic à tali constructionis inversione vel immutatione, hic recte abstinemus: primum quod hanc non commode ferant articuli, prioribus & non posterioribus membris adpositi, & deinde quod hebraicum sit, notam similitudinis reticere ac subintelligere: putamus igitur quod vel solum hic intelligatur natura & essentia angelica; vel intelligatur eadem, cum aliqua reflexione, ad explicationem primam; ob eam causam, quod Christus in altero membro, non describatur quoad essentiam, vel naturam simpliciter, nec cum totali respectu, ad certam operationem; sed tantum cum connotatione dominii, ex essentia divina resultantis. (3. Nota cur ventis & igni comparantur Angeli? Fit id propter velocitatem & robur. Magna est vis & celeritas ventorum, qui incredibili celeritate omnia perflant, & obvia quævis prosternunt: quemadmodum & ignis consumit quicquid cedere nescit: Similiter sunt Angeli veloces & celeres in mandatis Dei peragendis, & simul etiam robusti, ut resistentem quemvis facile prosternant; imo, sicut ignis specie constat eos adparuisse, 2. Reg. 6: 17. Sic instar ignis quoq; conficiunt & consumunt. Vis autem argumenti unde præ Angelis prærogativa Christi probatur, consistit in voce facere, & eorum nomine. Creaturæ sunt illi ac facti; nec non officio nuncii ac ministri, & mit-*

mittente longe inferiores: At Christus est creator, & mittenti æqualis. Vers. 8. ^{vus} continet oppositionem vers. 7. ^{mi}, & ut habet vocativum atticum Θεός: sic præpositionem ad vult explicari per *de*, sicut factum est versu superiori. Ipse vero totus, desumptus est ex Psal. 45: 7. & pro Deitate Christi dat duo argumenta; *alterum ex nomine Elobim, & alterum ex aternitate regni.* Occasione posterioris hujus argumenti, incipit Apostolus regnum Christi describere, & sic

IV. Respectu Administrationis, vers. 8. Christum extollit, dum dicit, *Virga regni tui, virga est recta.* Virga significat h. l. non baculum viatorium, sicut fit Matth 10: 10. nec architectonicum, Apoc. 11: 1. nec pastorem, Psal. 23: 4. nec castigatorium, Act. 16: 22. Esa. 10: 15. Sed significat baculum solidiorem, ex quo olim fiebant scepra, Ezech. 19: 11. 14. Sumitur itaq; metonymice pro regno, ac ejus administratione; sicut etiam ad hanc metonymicam significationem, respererunt olim *Hieroglyphi*, dum ad significandam regiam Dei dignitatem, tantum pinxerunt Baculum i. e. Sceptrum, tanquam certissimum Regis symbolum, *vide Cyrill. lib. 9. contra Julian.* Hanc Christi virgam in Ecclesia, dicit esse *virgam rectam*; sicut quoq; recta est, *tam in administratione quam constitutione, tam in mandatis, quam mandatorum executione,* Prov. 7: 8. Per quæ omnia, Christus præ Angelis multum extollitur; quippe quibus nulla virga, nullum sceptrum est datum, & tanto minus habent virgam rectam. Versu 9. ^{no} 1. *causam proponit rectitudinis illius:* id est, quod regnum suum summa æquitate & justitia administrat; nimirum, quia *diligit justitiam & averfatur iniquitatem,* conf. Psal. 5: 5. 2. *Consequens hujus justæ administrationis indigitat, scribens: propterea unxit Te &c.* atq; sic

V. Respectu Donorum vers. 9. Christum extollit, dicens, quod *præ consortibus sit unctus &c.* Est hic locus nobis non nihil obscuro

obscurus, atq; hinc juxta diversas adprehensiones, in diversas sentias ire videmus interpretes: nos sequenti modo explicamus mentem nostram, indicantes. 1. *Quæ hac unctio?* 2. *Qualis hic Christus.* 3. *Quinam ejus consortes?*

Hic I. *Circa Unctionem*, supponimus Christum non esse unctum unguento aliquo naturali, *neq; ex ligno vite*, ut Petrum loquentem inducit supposititius Clemens lib. 1. *Recog. neq; ex aromatibus expresso, aut ex ullo naturali corpore confecto*; nedum *solemni illo*, ad mandatum divinum præparato, Exod. 30: 23. seqq. *Sed unguento divino, & oleo spiritali*, credimus Eum unctum fuisse, nimirum *spiritu Domini*, Esa. 61: 1. Atq; sic putamus Apostolum & Prophetam, alludere ad unctiones in V. T. usitatas, ac ad eas præsertim, quæ fiebant in personas, per oleum vel unguentum. Fuerunt vero olim usitatæ tales unctiones, (1) *Ob rationes Physicas*, in recreationem, 2. Chron. 28: 15. in lætitiâ, 2. Sam. 14: 2. Amos. 6: 6. in ornatum, Esth. 2: 12. à luctu, 2. Sam. 12: 20. à Jejunio, Matt. 6: 17. &c. (2) *Ob mandatum legale*, dum aliquis magno admovebatur officio: Ac quia præter tres ordines, *Sacerdotalem, Regium & Propheticum*, non videbatur apud Judæos, aliud esse principatus, uti loquitur Chrysof. super 1. Cor. 15: 28. Hinc tantum ungebantur officia ingressuri, *Sacerdotes*, Exod. 28: 41. Lev. 7: 25. *Propheta*, 1. Reg. 19: 16. & *Reges*, ut Saul 1. Sam. 9: 16. David 1. Sam. 16: 14. Salom, 1. Reg. 1: 34. & sequentes alii. Horum omnium unctio præsupponebat 1. *Personam destinationem ad officium*, Ezech. 28: 14. conf. Jud. 9: 8. 2. *Segregationem à vulgo*: Ipsa vero in se erat (α) *Medium, per quod Deus, vel donis subjective, vel privilegiis moraliter*, personam dignabatur ac augebat; & sic uncti Domini in scripturis, dicuntur illi, qui ex Sacerdotibus, Prophetis & Regibus, sunt revera oleo uncti, & talibus donis vel privilegiis instructi; quin & uncti Domini vocantur etiam alii, nimirum quos Deus singula-

gulariter vocavit, atq; auxit suis donis, quasi revera fuissent uncti extrinsecus; quomodo inuncti Patriarcha, uncti Domini vocantur, & cum privilegiis recensentur, Psal. 105: 15. nec non inunctus Cyrus, unctus Domini dicitur, Esa. 45: 1. nim: quod à Deo creatus fuit Rex, ut regnum & potentiam Babyloniorum destrueret, Judaorum captivitatem solveret, & Deo templum adificaret, scribit Theodoret. super Esa. 45: (β) Fuit unctio Symbolum suscepti officii, hinc qui unctum in Hebræis nominavit, is statim aliquem principem dixit.

Deinde II. Circa qualitatem Christi, nota, quod hic in præfenti textu consideratur ille, (1) Ut Rex in officio suo regio constitutus, ut patet ex vers. anteced. (2) Ut officio bene functus, (3) Ut singulariter auctus, ac (4) ita, ut post se reliquerit consortes &c. *Queris jam ad quam unctiōnem hic respicit Apostolus, & quæ illius, quoad Christum applicatio Allegorica? R. Quoad divinam naturam ut constat, non est Christus unctus. Quia ea natura est, quæ ungit &c. (Et vide quod illa sola non est Christus in officio constitut⁹, nedum eodem per illam solam defunctus. Hinc esse nomen Christi, duarum naturarum consignificativum, recte scribit Damasc. &c.) Unde quod unctio sit secundum humanitatem, nemo qui recte sapere solet, dubitaverit; nam si Deus est, & verbum, non opus habet unctiōne, &c. scribit Cyrill. de rect. fid. ad Regin. Est igitur Christus unctus, quoad naturam suam humanam; quæ sola potuit ungi, & voluit perfici. Sed accipe allegorias: Videtur Christus in humana natura per spiritum unctus. (1) per modum Unctiōnis Physicæ, quoad dona sua moralia: quod sicut unctiō physicæ rationis, olim usurpata, agebat sensim &c; sic crescebat Christus a tate & gratia, coram Deo & hominibus, Luc. 2: 5. & 1: 80. (2) Videtur iūe in eadem à S. Sancto unctus, per modum Unctiōnis Legalis, quoad dona divina, tam in Sacerdotem & Prophetam, quam Regem: adeoq; α. quemadmodum Unctio Legalis, fuit Me-*

dium exhibendorum donorum, Pl. 89:20. seqq, & ante dictum: sic est Christus quoad humanam suam naturam, per hanc unctionem, donatus *S. Sancto* & *potentia*, Act. 10: 38. imo, dum alii per unctionem, acceperant tantum unam aut alteram Spiritus virtutem, jam super Eum quievit *Spiritus Dei*, & *Spiritus sapientia*, &c. Esa. 11: 2. h. e. *accepit dona S. S. i absq; mensura*, Joh. 3: 34 *β. Quemadmodum Unctio Legalis fuit apud Hebraeos, Officii Insigne*, vide Hieron. in Esa. 12: sic hanc infinitorum ac divinorum donorum unctionem, pro Symbolo & insigni officiorum suorum, habet Christus homo; Verbum ergo unxit in Psalmo, nos referimus ad intentionem Dei, & vocem propterea explicamus finaliter, juxta usitatum scripturae morem, Matth. 19: 5. Gen. 2: 24. Et ita per nos exoritur hic sensus: dilexisti justitiam ab aeterno, procurasti justitiam persona *de regno*, hinc constituit Deus sub plenitudinem temporis Te incarnatum ungere; sicut revera tunc abundantia Spiritus illum unxit, Coll. 2: 9. conf. Damasc. lib. 3. de O. E. cap. 3.

Sed Ill. quoniam ejus Consortes? Fuerunt illi *vel Typici*, ut in *V. T. Reges, Prophetae & Sacerdotes*; *vel Veri*, juxta acceptionem vocis inf. c. 8: 2. ut (1) *inter homines, omnes Regniti*, sed cum primis electi, cujuscunq; fuerint aetatis: hi enim sunt Christi consortes, tam per naturam suam humanam, Heb. 2: 16. quam per gratiam, Act. 11: 26. seq. (2) *Angeli*, quorum comparationem Apostolus hic urget: qui similiter consortes Christi dici possunt, non tantum respectu glorificationis, Matth. 22: 30. Sed & propter statum universalis Ecclesiae, de quo infra cap. 12: 21. His sic expositis, nunc tandem mentem nostram paucis indigitamus: Sicut in V. T. oleo vel unguento externo ungebantur Reges, Sacerdotes & Prophetae, dum munus obeundum suscipiebant: sic est Christus in N. T. plenitudine ac abundantia Spiritus, unctus, ut sit noster Rex, Sacerdos & Propheta: atq; hoc oleum quo unctus est, *oleum est exultationis*,

nimirum, (1) *Transitive*, quod sicut oleum vel unguentum Regum, &c. optimam fragrantiam de se spargebat: sic hoc oleum Christi potest consortes, Homines Renatos, qui de plenitudine ejus, fide accipiunt, sensu gratiæ divinæ, ceu optima fragrantia, reficere ac replere, Psal. 84: 2. atq; hinc in *odore unguenti ejus, nos* dicimur *incedere ac exultare*, Cant. 1: 4: seq. & *fuit ille singulariter unctus, præcipue unctus, unde omnes Christiani unguuntur*, scribit August. (2) *Intransitive*, quod sicut Sacerdotes, Reges & Prophetæ, ob unguentum suum ipsi exultabant, Psal. 133: 1. seqq. Sic ob unguentum suum, plenitudinem divinitatis, præ consortibus suis Angelis, exultat Christus homo, Col. 1: 16. Phil. 2: 9. seqq.

VI. *Respectu Ortus ac Originis*, vers. 10. Angeli sunt Creati, uti dixit vers. 7. Christus vero est Creator, ut ostendit ex Psal. 102: 16. Unde quoq; hic in casu recto (dicens: *Tu fundasti* &c.) Ei adscribit opus creationis, quod est opus vere divinum, ut constat ex Jer. 10: 11. Job. 9: 8. Hanc Creatoris æternitatem hic & sequentibus duobus versibus porro illustrat, per collationem cum cœlis, *qui peribunt & antiquabuntur*, vers. 10. conf. 2. Pet. 3: 10. Apoc. 21: 1. et qui instar injectitiæ vestis, vel mutabuntur, ut cum Hebræo, habent codices nonnulli Græci; vel involventur, ut cum Syro legunt alii: Ubi contra, *Filius Dei permanet immutabilis*, vers. 12. conf. Mal. 3: 6.

Sequitur adpēdix: Et (α) versu 13: probat testimonio Scripturæ ex Psal. 110: 1. quæ ante vers. 3. de Sessione ad dexteram Dei dixerat: Confirmat ergo hic argumentum ab illa Sessione Majestatica desumptum; & per inimicos intelligit hostes spirituales, tam Dæmones, quam mundum, & homines reprobos; quos omnes quasi pedibus calcandos, in extremo judicio, Christus sibi subjiciet, 1. Cor. 15: 25. seqq. Atq; hoc quia non datum est cuiquā Angelo; inde concludit Christum esse Angelis superiorem. Verum hæc conclusio fuit Judæis

molesta, qui extollebant Angelos, quorum ministerio habebant legem sibi datam, Gal. 3: 19. quique ob eam causam, etiam Christo eos præponebant: Sed (β) tanto impensius Christum contra, Paulus commendat, eumque ceu Dominum, Angelis omnibus, ceu ministris, præfert; adjiciens vers. 14. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus &c.* Ubi (1) ne aliquis ullum Angelum excipiat, dicit emphatice, *omnes esse spiritus ministratorios*, & qui Deo, hominibusque ministrant, Dan. 7: 10. Psal. 91: 11. (2) Itidem emphaticè (vide interrogationem) quærit, *annon id*, apud omnes, sit in confesso: Addit vero (3) Quibus illi ministrant; nimirum *is, qui aeternam vitam hereditabunt*: hos enim illi signant, Apoc. 7: 3. ac in sinum Abrahæ deportant, Luc. 16: 22. *Atque ita ex his omnibus, vult Apost. concludi, Christum superiorem Angelis, nobilissimis Dei creaturis, non creaturam, sed verum Deum esse.*

QUESTIONES.

I. Vers. 4. *An Filius Dei sit creaturæ, dum comparatur cum Angelis?* R. Olim ita collegere *Arriani*; Sed nota (1) sermonem hic non esse, de divina Christi natura, cum secundum eam, Christus sit Angelorum Creator, ut Sermone 3. contra *Arrianos*, recte urget *Athanas.* (2) Humanam Christi naturam considerari dupliciter, *naturaliter, vel ratione unionis hypostaticæ.* Quamquam creatura corporea sit humana Christi natura, & quæ sic ratione substantiæ, cedere debeat essentiæ Spirituali: duobus tamen modis, Angelis præponitur Christus homo. *Primum*, per ac propter unionem personalem, accepit ille idiomatica divina, & sic est in conditionem Filii Dei elevatus, Luc. 1: 32. quæ præstantia & excellentia, non est Angelis data. *Deinde* est Christo, per Exaltationem & gloriosam Sessionem ad dexteram Dei, collata Majestatica vis imperitandi, quæ itidem non est cuiquam angelo facta, Phil. 2: 9. Quibus duobus modis, humanam Christi naturam, præ sorte angelica, extollunt Patres.

II. Vers. 4. *Cum etiam Angeli sint Filii Dei Job. 1: 6, Quomodo potest Apostolus, ex nomine Filii, præstantiam Christi, præ Angelis, inferre?* R. (1) Eam arguit non simpliciter, ex nomine; sed ex nomine.

nomine juxta Psal. 2. dum modificato, *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* &c. (2) Est Christus naturalis Filius, ex substantia Dei, ab æterno genitus. Angeli vero non sunt ex Substantia Dei, sed Filii per creationis gratiam. (3) Dicuntur quoq; hi Filii Dei, propter Majestatem imperii, quod nomine Dei exercent, sicut quoq; , qui sunt in Magistratu, ob eandem causam, Dii vocantur, Psal. 82: 6.

III. Vers. 5. *Annon inepte alligatur Psal. 2: 7. R. Judæi* ut enervent argumentum nostrum, ajunt hunc Psalmum non esse de Christo intelligendum; sed de Davide, qui Palæstinos, quando in Regem erat electus, contra se conspirantes, percussit ac divicit, atq; sic ex eâ victoria, in quam Dei auxilium manifeste concurrat, recte conclusit, quod Dei Filius fuit, & à Deo Rex renunciatus. *Deinde sunt etiam alii,* qui opinantur hunc Psalmum ad literam de Davide agere; atq; hi verba Psalmi sic exponunt: *Tu David es Filius meus* i. e. princeps populi mei, *Ego hodie genui Te* i. e. hodie per Samuelem unxi Te in Regem; vid. Estium, Jansonium & Photinianos: Sed tamen *tertio* hunc Psalmum de Christo literaliter agere, vel ex hac Apostoli allegatione, potest planum esse, vide argumenta alia, apud Gerhard. Tom. 1. Art. 3. de S. S. Trin. Thef. 158. *Quomodo vero hic Psalmus Christo competat, auctores inter se dissident. Multi interpretantur* verba Psalmi de temporali nativitate Christi ex Maria virgine, ita Athanas. Fulgent. Euthym. *Quidam explicant* illa de resurrectione ex mortuis, quasi verba, *hodie genui te,* idem sint, quod resuscitando te à mortuis, toti mundo demonstravi te non nudum hominem, sed Filium Dei esse; quemadmodum quoq; Christus *per resurrectionem, est potenter declaratus Dei Filius,* Rom. 1: 4. Sic explicant Orig. Hilar. Chrysof. & nonnulli Calviniani. Atq; horum quoq; explicationem amplectuntur Photiniani. Vindicias Psalmi tu vide apud Gerhard. Tom. 1: Art. 4.

IV. Vers. 5. *An commode alligetur locus 2. Sam. 7: 14. & Psal. 89: 27. Ego ero ei, &c.* R. Hæc verba *quidam* literaliter referunt ad Christum, ob eam causam, quod non quadrent in Salomonem; quippe qui excitabatur vivo parente, non consequeretur regnum æternum, & porro privabatur Dei misericordia, secus quam tenet promissio, Davidi facta. *Alii vero literaliter* illa referunt ad Davidem, ac typice tantum ad Christum i. quod ipse David declarat

hæc de Salomone esse dicta, 1. Par. 22: 13. & 28: 6. 2. Quia Salomon ea sibi applicat, 1. Reg. 5: 5. 2. Par. 6: 8. 3. Quia Salomonis erat ædificare templum; sicut 4. Quod reprehensio per virgam, non cadat in Christum. Sed *simplicissime statuitur, in sensu literali, quedam ad Christum, quedam ad Salomonem pertinere.* Alias ex sensu typico quicquam arguere, non est novum, vide 1. Cor. 9: 9. &c. & potuere Sacri Scriptores sine periculo, id facere, quia gaudebant immediato S. S. i impulsu: Absurdus igitur est Cajetanus, qui ob negationem (ut opinatur) sensus literalis, derogat huic Epistolæ, suam canonicam auctoritatem.

V. Vers. 6. *Quomodo Pater Christum iterum in mundum introduxit?* R. (1) Quidam per *iterum*, putant tantum novum produci divinitatis argumentum. atq; hi per introductionem, intelligunt incarnationem, vide cum Syro, Patres Græcos. Sed (2) hac vocum metathesi vix est opus, cum & ipsa non parum violenta sit, & bene alias, posteriorem introductionem valeamus explicare: *E. Prima introductio* plerorumq; judicio fuit Christi Incarnatio: tunc enim verbum caro factum est, Joh. 1: 14. & Filius ingrediebatur mundum, Heb. 10: 5. *Secunda introductio* potest esse Ejus, vel Resurrectio, vel Exaltatio ad dexteram Majestatis, vel Manifestatio per Evangelii prædicationem, vel Adventus ad judicium: Ita de posteriore introductione, variant auctores: Sed conveniunt singulæ expositiones cum analogia fidei; possunt igitur conjungi, ac pie explicari.

VI. Vers. 6. *Cur vocatur Christus Patris primogenitus, cum sit ejus unigenitus Filius,* Joh. 1: 14. & 3: 16. R. (1) Unigenitus potest etiam primogenitus dici, quatenus ante eum fuit nullus. (2) Dicitur Christus primogenitus, non tantum respectu Filiorum adoptivorum, Rom. 8: 29. Sed præcipue in ordine ad primogenituræ in hæreditando & dominando, prærogativam. Primogenitis enim ex legis præscripto cedebat 1. *duplex portio*, in hæreditate paterna, ut patet ex Deut. 21: 17. Et 2. *inter fratres, primatus Dominii & Sacerdotii*, ut liquet ex 2. Par. 21: 3. collato cum 1. Paral. 5: 3. Similiter accepit Christus omnia, quæ Patris sunt, hæres omnium constitutus; quemadmodum Deus quoq; constituit Eum Regem super Sion Psal. 2: 6. & juramento fecit Eum Sacerdotem in æternum: *ψ.* 110: 4. Atq; sic in ordine ad primogenituræ prærogativam, typum suum, dicitur ille primogenitus, qui fuit unigenitus. VII.

VII. Vers. 6. *Cum Angeli adorent Christum, cur non tanto magis possunt homines in Eucharistia eum adorare, quum sciant eum, ibi esse vere presentem?* R. Ita volunt Pontificii; sed tamen ut illicentes concesserimus, Christum ibi vere presentem, esse adorandum: sic adorationem illam ad externa Symbola dirigere, vel alligare, nobis est religio: est enim præter Scripturam, extra cujus ductum nos in hisce, nolumus quicquam sapere.

VIII. Vers. 6. *Ubi habentur verba, adorabunt eum omnes Angeli.* R. Psal. 97: 7. Sed tamen illa Paulus hic repetit non *ἀυτολέξει*; sed tantum quoad sensum. Deinde pro *Elohim*, ex 70. interpretibus scribit Angelos; Illos vero etiam alibi sic vertisse, liquet ex Ps. 8: 6.

IX. Vers. 8. *Annon est Psalmus 45. scriptus in honorem Salomonis?* R. (1) An Salomon Deus? (2) An regnum ejus æternum, quod statim post mortem fuit laceratum, & nunc quoq; sublatum, (3) An Salomon sapientissimus, etiam ultra Christum?

X. Vers. 9. *Dona Christi non dicuntur alius rationis esse, quam dona consortium, verum illis tantum præferuntur: An igitur sunt & illa finita, quamquam gradu sublimiora?* R. (1) Agnoscimus dona finita Christo esse data, Luc. 2: 80. (2) Præter illa, statuimus quoq; alia vere divina & infinita, per unionem hypostaticam Ei esse collata, Joh. 3: 36, Joh. 1: 16. (3) Ut unio itaq; hypostatica, ab inhabitatione gratiosa, differt toto genere; sic unctio Christi cum infinitis, suis donis, differt toto genere ab unctioe, quam acceperunt consortes. Nota igitur (4) quod per terminos comparativos, hic exprimatursimplex negatio, sicut fit in hujus capituli vers. 5. & 13. ubi Angeli non modo ab æqualitate gradus; sed quoq; specifica donorum ratione, simpliciter excluduntur.

XI. Vers. 10. *An hic Psalmus ad Christum recte referatur?* R. Torus Psalmus est vaticinium de Christo, ejusq; Ecclesia, per terrenam Jerusolyamam adumbrata.

XII. Vers. 10. *An Creatio hic recte attribuatursChristo? Sociniani, hostes divinitatis Christi, disserunt in hunc modum: Agit Psalmographus ibi de duobus, creatione & destructione: Et destructio quidem competit Christo, ut extra omnem controversiam est, Joh. 5: 27. Creatio vero non item; etsi h. l. cum altero membro, illa Ei attribuaturs. Sed Resp. (1) Apostolus hic disertis verbis, dat Christo tam*
crea-

creationem, quam destructionem; & (2) vers. 2. aperte testatur, Patrem per ipsum fecisse secula, conf. 1. Cor. 8: 6.

XIII. Vers. 11. 12. *Annon hic locus docet, quæ erit conditio cæli & terræ, post ultimum iudicium?* R. Non est ea res nobis liquido revelata in Scripturis; itaq; curiosi sunt, qui anxie de eadem disceptant, sicut porro temerarii sunt, qui in re dubia audent sententiam dicere. Qui manentibus substantiis pro innovatione qualitatum pugnant, utuntur fere sequentibus argumentis: (1) Hic tantum dicitur de cælis, quod mutabuntur; non vero additur, quod in nihilum redigentur. (2) Comparantur iidem amictui circumvoluti: nimirum ut antiquas & attritas vestes invertimus, ut adpareant elegantiores: sic tunc mutabuntur & circumvolventur cæli &c. (3) Dicuntur creaturæ non destrui, sed tantum à corruptione & servitute vindicari, Rom. 8: 21. Atq; sic (4) propter substantialem permanentiam, dicitur *ternū æternū duraturū*, Eccles. 1: 4. Nos vero his simpliciter nec suffragamur; nec refragamur; sed in re tam dubia, τὸ ἐπέχειν amplectimur, cum voto, ut quod nunc ignoramus, propter meritum Christi, felices olim experiamur.

XIV. Vers. 14. *An omnes Angeli ministrant: videntur quidam tantum adistere*, Dan. 7: 10. conf. Thom. Aquin. part. 1. quæst. 112. R. (1) Omnes ministrare, dicit hic expresse Apostolus: (2) Quamquam Daniel dicto loco ministerio addat adstantiam; non tamen facit id distinctive, sed declarative, sicut sæpe in Scripturis posterius membrum est repetitio, vel declaratio prioris. Atq; hinc (3) 1. Reg. 28: 19. Micheas dicit totum exercitum cœlestem stetitisse coram Deo, videlicet ad ministrandum, conf. Cyrill. in cap. 6. Esa. (4) De differentia inter Angelos ministrantes & adstantes, quid statuendum sit, consule D. D. Calovium, in L. L. C. C. de Angelis.

XV. Vers. 14. *Annon etiam Christus est Sanctorum minister*, Heb. 8: 2. R. Christus olim fuit *minister circumcissionis*, Rom. 15: 8. & etiamnum est λειτουργὸς τῶν ἁγίων, vid. inf. 8. cap. Sed nihilominus sedet ille ad dexteram Dei, & omnia potentissime regit: At Angeli sunt λειτουργικά πνεύματα, h. e. Spiritus pertinentes & destinati ad ministerium, Deo hominibusq; publice præstandum; vide inf. observ. nostras.

AD HEBRÆOS.
OBSERVATIONES.

33

I. DE HUMANA CHRISTI NATURA.

Excepto peccato, quamquam Christus homo, *habebat olim infirmitates, quibus nos laboramus*, Heb. 2: 17. seq. Tamen gaudet multis *prærogativis ac dignitatibus*, quas præ nobis ac aliis omnibus creaturis, per gratiam communicationis, & suam exaltationem, ille est consecutus. *Sunt illæ h. l. sequentes:*

I. *Hæreditas*, vers. 2. Quæ ab æterno habuit Pater cum Filio, illorum omnium in tempore, hæres factus est Christus Filius Mariæ. Scilicet per gratiam communicationis in unione personali, invasit ille ea, quoad humanam suam naturam, quæ alioquin ei per conditionem divinam debebantur ut propria; & sic est *Filius Mariæ factus magnus simi*, &c. Luc. 1: 32. Totius igitur universi in tempore constitutus est Dominus, Act. 2: 36. licet hoc dominium in statu exinanitionis, plenarie ac gloriose non semper usurpavit; *quia semetipsum exinanivit*, Phil. 2: 7. conf. inf. c. 2. part. 2.

II. *Filiatio*, vers. 4. 5. Hæc præcedit hæreditatem, cum nemo sit hæres, nisi vel Filius fuerit naturalis; vel alias aliquo modo, receptus, adpropriatusq;. *Præsupponit igitur hæreditas veram Filiationem*, vel quod ei per pactum, &c. potest esse analogum; *Dominationis vero jus sufficienter arguit*. Ad hanc dignitatem pertinet etiam *excellētius nomen*, quod præ Angelis, Christus est sortitus, & ita est *Filius Mariæ, factus Filius altissimi*.

III. *Sessio ad Dexteram Dei*, vers. 3: 13. h. e. Dominium super omnia, interprete Paulo, 1. Cor. 15: 24. seqq. Est enim *dextera Dei*, nihil aliud, quam *æterna Dei Majestas: Est summa ejus potentia*, Exod. 15: 6. 12. Deut. 33: 2. Psal. 17: 7. omnia in omnibus adimplens, omnia gubernans & disponens; unde hic vocatur, *dextera in Excelsis*: & sic de Christo recte prædicantur variæ divinæ actiones, Luc. 1: 3. Eph. 4: 10. Joh. 5: 27.

IV. *Religiosus Adorationis Cultus*, vers. 6. Adorare significat

incurvato, aut prostrato corpore, aliquem venerari, sicut hic adorationis mos fuit Orientalibus erga eos, qui virtute, vel dignitate antecellebant, vide Joseph. Lib. 6. Ant. cap. 14. Ad animum vera translatum, significat interiorem cultum, quem externo gestu, facimus testatum. Duplex igitur est adoratio: Civilis & Religiosa. Illam nisi modum excedat, creaturis tribuere, fas est, uti docent exempla, Dan. 2: 46. Exod. 18: 7. Hanc vero creaturis tribuere, est contra expressum Dei mandatum, Exod. 20: 3. seq. Deut. 5: 15. Nec accipiunt eam creaturæ, nisi quæ se ipsas ignorant, ut loquitur Cyrill. recte. Christo data est utraq; adoratio: Qui enim putarunt eum tantum esse doctorem, ac Prophetam; hi civiliter eum adorarunt, sicut Leprosus Matt. 8: 2. Præfectus Synagoga, 9: 18. Cananea 15: 25. Ast qui illum etiam pro Messia habuerunt, illi quoq; religiose eum adorarunt; & ita adorarunt eum ante adscensionem Magi, Matt. 2: 11. & post illam, Discipuli, Luc. 24: 52. Scilicet Filio Dei debetur per naturam religiosus adorationis cultus, juxta mandatum, Matt. 4: 10. sed nihilo minus propter realem idiomatum communicationem, ex gratia debetur idem Filio hominis, Phil. 2: 10.

Objectum igitur Adorationis Religiosa est totus Christus, secundum utramq; naturam (1) Simul: nam non altera natura, simul cum altera, adoratur, Sed unus Christus Jesus adoratione propria cum carne, adoratur, scribit Cyrill. Epist. 10. conf. ejus Anath. 8. (2) Adoratur idem equaliter, quoad utramq; naturam: nam post incarnationem, non amplius dicendum est, terminari adorationem in divina ejus natura directe, (sicut solum & æqualiter i. e. directe, in eadem terminabatur olim, Josv. 5: 14.) Et indirecte ferri illam in ejus humanam naturam, sicut ex nonnullis patribus, incommode loquuntur & sentiunt Calviniani; sed fertur directe adoratio in personam, quæ est & Deus & homo; Atq; sic una ac simultanea adoratione, & uno modo directo, adoratur quoad utramq; naturam, totus Christus.

V. Dignitas est Unctio, vers. 9. Prae consortibus Unctus est Christus oleo latine, à S. Sancto, Luc. 4: 18. seq. Sed hic memento

(1) *Quinam consortes Christi?* Consortes Christi circa unctiōnem sunt duplices. 1. *Spirituales* (omittimus nunc in adplicatione Angelos) sunt omnes vere Christiani, qui eatenus possunt dici uncti, quatenus participes sunt facti S. Sancti; *manet quippe in his talibus unctio, & docet illos, 1. Joh. 2: 27.*

2. *Externi & typici* in V. T. fuerunt Prophetæ, Reges & Sacerdotes. *De Prophetarum unctiōne res est nota, & vide exemplum in Elisa. 1. Reg. 19. 16. Sacerdotum unctio inculcatur Exod. 29: 7. Lev. 8: 12. Sicut quoq; de Regum unctiōne, constat ex 1. Sam. 10: 1. conf. 1. Sam. 26: 9.* Similiter est Christus unctus in Prophetam, Sacerdotem & Regem; non quidem quod legimus externo modo, sicut nec externo modo ungi debuit; sed quatenus accepit S. Sanctum, olim per hanc unctiōnis ceremoniam, typice adumbratum ac collatum. (2) *Quis unctiōnis finis?* Ut olim Reges, Prophetæ & Sacerdotes per unctiōnem ordinabantur ad officium, & simul instruebantur donis ad labores vocationis ferendos, necessariis; *Psal. 89: 20. seqq.* Sic per unctiōnem suam est Christus, tam officii suis destinatus, quam ad illa obeunda, divinis donis instructus. (3) *Quam Christi naturam affecit hac unctio?* Affecit illa ut ante dictum, tantum ejus humanam naturam, quæ sola in tempore potuit perfici: ubi natura divina nec perfici potuit, nec opus habuit. sed ipsa fuit, quæ cum S. Sancti essentia communis, humanam naturam unxit. (4) *Qua contulit dona?* Dona contulit non creata, quantæcunq; dignitatis ac magnitudinis ea cogitentur, sed increata & vere divina, ipsam nimirum divinam potentiam & Majestatem, *Act. 10: 38. Joh. 1: 16.* Atq; sic dona Christi à consortium donis differunt, a. *Quantitate*, si fas est ita loqui; in Christo enim *dum habitat tota divinitatis plenitudo, Col. 2: 16.* Consortes accipiunt

dona tantum secundum fidei mensuram, Rom. 12: 6. β . *Modo inestendi*. Inseparabiliter ac in segregabiliter insunt Christo ejus dona: At Sanctis insunt dona eorum separabiliter; unde quoq; per graviora peccata, sæpius excutiuntur, Eph. 4: 30. *Atq; sic his dignitatibus & præ eminentiis, supra omnes consortes (Angelos, homines) secundum humanam suam naturam, extollitur h. l. Christus.*

II. DE DIVINA CHRISTI NATURA.

Divina Christi dignitates, vel argumenta divinitatem Ejus probantia, recensentur hic sequentia. Est Christus

I. *Splendor gloria Patris*, vers. 3. Ut itaq; (1) splendor à gloria seu luce, habet suum esse, non contingenter; sed necessario: non desinenter; sed semper: ita accepit Filius à Patre suam essentiam hypostaticam, per æternam illam generationem, Psal 2: Prov. 30: 4. (2) Sicut splendor producitur à luce, absq; fluxu, & decisione; ita absq; fluxu & decisione, est Filius à Patre genitus, Sap. 7: 25. (3) Sicut gloria hæc est æterna; sic quoq; æternus est illius splendor: quandoquidem hic semper illam sequitur, nec tempore, sed ordine tantum, eadem est posterior: *Est igitur Christus, juxta scopum Apostoli, Paterna gloria splendor, ac per consequens verus Deus. Quin & postea hic idem splendor patitur lucernam favoris sui, supra capita nostra lucere*, Job. 29: 3. E. ut ille *coram nobis ignorantibus splendet*, 2. Pet. 1: 19. sic nostrum est *juxta lucernam ejus, inculcate incedere*, Psal. 119: 93. Et ut ille *dat splendorem salutaris Dei cognitionis*, 2. Cor. 4: 6. sic nos *vite sanctimoniam conspicuam faciamus candelam nostram*, Luc. 11: 3. conf. Matth. 5: 16.

II. *Character Hypostaseos Ejus*, vers. 3. Scilicet per inenarrabilem generationem ab æterno factam, respandit in Filio essentia Patris, ut ibi per impressum quasi characterem, æternum indivisibiliter inveniatur, Joh. 5: 76. Joh. 16: 15.

III. *Creator Rerum Omnium*, vers. 2. 10. *Solius Dei est creare*, Esa. 44: 19. Esa. 45: 12, seqq. Jer. 10: 11. attamen ex Ps.

102: 26. opus creationis hic tribuitur Christo, vers. 2. & 10. *Christus igitur rerum omnium creator, est verus Deus; Et quamquam vers. 2. omnia per Christum dicuntur facta; tamen particula per ut ibi non notat instrumentum; sic nec naturam dividit, sed unius & inconfusæ naturæ characterem personalem exprimit: confer 1. Cor. 8: 6. Rom. 11: 36.*

IV. *Sustentator Omnium*, vers. 3. Sustentat Christus omnia & sic ceu Deus, etjam is recte ab Hieroglyphis adumbratur per *Bisulam stantem*, qui non potest labefactari; sed ipse stat, sustinetq; omnia. Ut igitur ex hisce operibus Pater cognoscitur esse Deus, Esa. 45: 17. seqq. Sic ex iisdem probatur Divinitas Christi, Joh. 5: -17. 19.

V. *Æternus*, vers. 12. Ubi (1) per locutionem præsentem, *Tu idem ipse es*, &c. denegat ei initium; quia apud ipsum est merum esse; unde quoq; alibi dicitur *fuisse à diebus aternitatis*, Mich. 5: 2. & *habuisse gloriam apud Patrem ab aeterno*, Joh. 17: 15. (2) Expressis verbis abarctet ab illo finem. Si igitur Christus est æternus, utiq; est verus Deus; nam præter Deum divinaq; alia, de facto nihil esse æternum, cum S. Sacra, affirmat *nunc sobria nostra ratio: conf. Kesler. Phys. Photin. Part. Generali Sect. 1. princ. 1.*

III. DE ANGELIS.

I. *Angeli sunt Spiritus*, vers. 2: 14. conf. Dan. 7: 10. Atq; ita habent essentiam, nec sensibus nostris ullo modo obviã; nec ullis corporum dimensionibus, locationibus, aut passionibus aliis, obnoxiam. *Non igitur (1) fuerunt Angeli, illi Filii Dei, qui descendebant, & dilabebantur in fœminarum concubitum, Gen. 6: 2. Nam, (æ) Ruebant in feminas, contra morem Angelicum, Matt. 22: 30. conf. Luc. 20: 35. Non nos sicut Græcorum Poëta, & Philosophi, Angelos facimus Deos, nec incorpoream naturam, in marem & feminam distinguimus, &c. non opus habent incremento, qui non diminuntur, neq; coitu, qui*

corporibus sunt liberi, &c. (β) Vere iidem descendebant, quod similiter Angelis seu Spiritibus, non competit; possunt enim illi ceu incorporei, in uno loco quam plurimi esse, Luc. 8: 30. Per illos igitur Filios Dei, non intelliguntur Angeli, sed Sethi posterius scribit & concludit recte Theodor. serm. 3. de cur. Græc. aff. (2) Licet Angeli in visibili forma quandoq; apparuerunt: non tamen fuit ea forma vera & Physica, Tob. 12: 19. Sed (α) vel adparens, ad tempus adsumpta, in gratiam hominum, qui aliter præsentiam eorum non potuerunt cognoscere. Vel deniq; (β) Etsi quandoq; fuit ea forma vera; sicut veram fuisse, ex eo, quod pedes eorum laverit Abraham, Loth per manus eorum fuit ereptus &c. arguit Tertull. lib. 3. cont. Marc: non tamen fuit ea unquam illis essentialiter unita; sed solum ad tempus adsumpta; quare peracto ministerio, aut in nihilum, aut in priorem sui materiam, est redacta, Tob. 12: 21.

II. Angeli Secundum Formam qua adparuerunt, accipiunt diversa in scripturis nomina, vers. 7. (1) Quando forma hominũ, vel alicujus animalis adparuerunt, dicuntur sæpius Cherubim: (metathesi litterarum ad exsculpendam significationem currus, ex Pl. 68: 18. 2. Sam. 22: 11. &c. nos omittimus) Vel Hebraice, dictione simplici, à forma, quod adparuerunt: cherub enim formam significat, aut dictione composita, à multitudine cognitionis, quod sint Deo cognitione viciniore, ut loquitur Greg. Magn. hom. 34. in Evang. Vel Chaldaice ac composita, à similitudine pueri, in cujus forma sæpius sunt visi, 1. Chron. 3: 10. Vel Syriace à specie bovina; Cherub enim Syriace significat aratorem, qualis est bos, conf. Lexicograph. (2) Quando forma inanimata adparuerunt, vel venti, vel flamma &c. dicuntur Seraphim i. e. igniti vel ardentis; aut quia in superis potestatibus nihil est frigidum, ut scribit Cyrill. super Esa. 6. & sic quod ipsi cum primis ardeant Zelo gloriæ divinæ: aut quia sunt instar ignis, celeres, spendentes & puri.

III. *Angeli sunt Spiritus Ministrantes*, vers. 14: *Ministrant enim Deo, & hominibus. Deo ministrant*, Dan. 7: 10. tam laudes ejus decantando, Esa. 6: 3. Luc. 2: 14. quam mandata ejus prompte & alacriter exequendo: sc. ut pueri steterunt coram Nebucadnezare; ei ministrantes, Dan. 1: 19. & ut David stetit coram Saule, 1. Reg. 16: 21. Sic coram Deo stant Angeli, in mandata ejus intenti. E. ubi illis Deus ipse opus non habet; eis tamen propter nos homines, utitur: & sic sunt illi *ἑσπαιρέσαι τῆς μεγαλειότης αὐτοῦ*, uti recte scribit Nazianz. *Hominihus ministrant variis modis: nos λειτουργίας* illorum, hic paulo distinctius cognoscemus: Ministrant illi (1) *Toti Homini*, 1. *Eum de presentibus admonendo*, Sic admonuit Angelus Josephum de itinere in Ægyptum, Matth. 2: 13. & de reditu, Matth. 2: 19. nec non pastores admonuerunt de re Bethlehemitica, Luc. 2: 10. et mulieres de resurrectione Christi, Marc. 16: 7. conf. Dan. 9: 23. Act. 1: 10. seqq. 2. *De futuris pramonendo*, Apoc. 1: 1. & 22: 6. 16. (2) *Ministrant Homini quoad Corpus*, 1. *Ante mala custodiendo* Luc. 4: 10. Psal. 91: 11. 2. *In malis defendendo*, Matth. 26: 53. 3. *Et malis liberando*, sic liberavit Angelus Apostolos Act. 5: 19. Petrum liberavit Act. 12: 7. conf. Matth. 18: 10. Psal. 34: 8. 2. Reg. 6: 15. (3) *Quoad Animam*: 1. *Consolando*, sicut Angelus consolatus est Zachariam Luc. 1: 13. Mariam Luc. 1: 30. Pastores Luc. 2: 10. Mulieres Matt. 28: 5. & ipsum Christum in monte Oliveti, Luc. 24: 43. 2. *In fide confirmando*; sic confirmavit Angelus Mulieres de resurrectione Christi, Marc. 16: 6. 3. *Preces ad Deum delatas esse, significando*, Act. 10: 4. 4. *Congaudendo nostra saluti*, Luc. 22: 10. & nostræ pænitiæ, Luc. 15: 10. 5. *Pios ad mandatum Christi Angeli increati, signando*, Apoc. 7: 3. 6. *Animas piorum in sinum Abrahæ portando*, Luc. 16: 22. (4) *Quoad Fortunas*, contra morbos, *remedia ostendendo*, & salubritatem in aëre, ventis & aquis procurando, Joh. 5: 4. (5) *Quoad Facta, ea in*

spiciendo, i. Tim. 5: 21. *nostris passionibus condolendo*, i. Cor. 4: 9. ac super profectum in fide *gaudendo*, Luc. 15: 10. Confer Erasm. Smid. h. l. nec offendere, quod quædam ministeria ac scripturæ loca, quæ competunt Christo Angelo Dei increato, & de eo volunt explicari, ille Angelis creatis minus recte adscribat: correximus nos pleraq; ac nunc singulorum examen suis locis relinquimus.

IV. Angeli ministrant iis, qui Hæredes erunt salutis, vers. 14. Pietatis ergo nos dabimus operam, & vicissim Deus angelorum suorum ministerio nos dignabitur benigne: Sed forte scire cupis, *quo tempore, quave tua ætate*, hoc ministerium Angelicum audes optare ac expectare? de his te docet quintuplex Angelorum portatio, quæ in scripturis describitur. (1) *Portant illi matres, gerentes uterum*, & provident ne uterus fiat nobis sepulcrum, Jer. 20: 17. exemplum vides in Agar, servata percustodiam Angelorum, sed reducta per Angelum increatum, Gen. 16: 11. (2) *Portant illi nos in infanzia*, unde parvulorum Angeli dicuntur, Matt. 18: 10. (3) *Portant nos in virili ætate*, dum ambulamus in viis nostris, contra pestem, & quemvis contagiosum morbum, Psal. 91: 12. seq. (4) *Portant nos ægrotos, & fiunt nostri medici*, ut notum est ex exemplo senioris Tobix. ac deniq; (5) *Nos fato supremo functos portant in sinu Abraxæ*, exemplo Lazari Luc. 16: 22. mittet enim Filius hominis in novissimo die Angelos suos, qui colligent, &c; Matth. 13: 41. Atq; sic cum quovis tempore, & quavis ætate, sint nobis destinati, dicatq; nostrum est in studio pietatis, eorum adventum optare ac desiderare. *Deus per suos Angelos custodiat nos in omnibus viis nostris!*

CAP. II.

Prærogativam Evangelii evicit Apostolus superiori capite, tam ex illius comparatione cum revelationibus prophetis, ac imprimis (quod intendit ostendere) Mosaicis: quam ex dignitate, quam id sibi conciliat, à nobilissimo sui auctore ac ministro, Christo, qui est *Filius Dei unigenitus*, &c. Matth. 17: 5. Nunc igitur hoc capite concludit hanc talem, tantâq; doctrinam, non esse negligendam: scilicet ut præstantiora solemus semper persequi & non negligere; sic nunc monet, ut *audiant præstantia, quæ loquitur*; sicut quoq; jubet Salomon Prov. 8: 6.

Partes sunt tres. I. Præ doctrinis Mosaicis svadet doctrinam Christi esse amplectendam, à vers. 1. ad 5. II. Majestatem Christi uberiorius describit, nec non testimonio prophetico confirmat; ad vers. 11. III. Docet quod huic Majestati nihil derogat Ejus incarnatio & passio, ad capitis finem.

I. PARS

De magis acceptando & amplectendo Evangelio.

EXPLICATIO.

Hactenus Evangelii prærogativam multis asseruit Apostolus, nunc ut id amplectantur, Hebræis svadet; & quidem vult, ut id magis sectentur quam doctrinam propheticam, quam tn. illi fere solum, magni faciebant, Joh. 8: 13. *Argumenta ejus sunt hæc sequentia:*

I. *Respicit ad Superioris Capitis Argumenta omnia, quæ prærogativam Christi & Evangelii arguebant, ac mox veluti servans memoria eorum ἀναμνηστικῶς, scribit vers. 1. Propterea oportet nos vehementer attendere, &c. h. e. Christus est, Hæres bonorum omnium, Creator, Patri coessentialis seu fulgor & character, Rerum omnium sustentator, Redemptor, Triumphator, &c: Eum igitur attentius*

F

debe-

debetis audire, quam alios, quibus hæ dignitates non conveniunt. Sed hic nota (1) quod verbum *attendere* prout est verbum magni momenti, vide Matth. 7. 15: sic etiam h. l. significat promptam receptionem, piam meditationem, nec non fidelem conservationem: voluit itaq; Apostolus *ut ad hos sermones suos attenderent, & ad verba sua inclinarent aures*, Prov. 4: 20. imo, voluit, *ut attenderent attentissime*, Esa. 21: 7. (2) Nota quod adpositus comparativus *abundantius*, neutiquam est negligendus. Hunc n. qui non servat, is prærogativam Evangelij, quam urget Apostolus, minuit, & porro ostendit quomodo non animadvertit, frigescentibus judæis, ad torporem eorum excutiendum, hæc scribi, conf. inf. cap. 6: 1. (3) Nota, quod per *audita* hæc, intelligitur verbum Evangelij, quod Christus ut propheta ipse in carne concionatus est, Rom. 15: 8. & quod postea per Evangelistas & Apostolos, ubiq; locorum, jussit annunciari, Matth. 28: 19.

II. *Argumentum Sumit A Necessario* vers. 1. *ne forte pereffluamus*. Hic comparat Apost. hominem *vassi*, sicut fit 2. Cor. 4: 7. Vel etiam ut aliquibus placet, *aque præterfluenti*, ut fit, 2. Sam. 14: 15. 14. Estq; sensus (1) *juxta comparationem priorum*, (α) instar vasorum, liberandi sunt animi vestri ab omnibus perturbationibus, præsertim hoc in negotio, à fastu adversus Christum, ne illo occupati, doctrinam ejus vel aspernemini, vel non admittatis; juxta illud Plutarch. de Audit. pag. m. 158. *Non minus studiose fastum ac spiritus elatos ex animis adolescentum discentium, quam aerem ex utribus esse excutiendum, si quid utile velis infundere, alioquin arrogantia pleni inflatiq; non admittunt* &c. (β) Nisi huic doctrinæ Evangelicæ abundantius attenderimus, illa cito perfluet, vicio facultatis nostræ corruptæ, quæ instar pertusi dolij, non potest eam retinere: sumus n. in hisce spiritualibus, pleni rimarum, & ex memoria cito delabuntur, quæ audivimus ante, nisi repetuntur. (2) *juxta comparationem alteram*, exurgit hic sensus: si ei abundanti-

dantius non attenderimus, instar aquæ nos ipsi secundo mundi fluvio, in æternum exitium defluimus præcipientes: his modis explicant doctores hunc locum, ac quamquam commodæ sint hæ explanationes omnes, si analogiam fidei spectes; videtur tñ. sola prima, cum emphasi textus Græci cum primis consentire.

III. *Petit ex Collatione Doctrina Moſis cum Doctrina Christi* vers. 2. 3. & 4. Atq; hic *legi Evangelium 4. modis præfert.*

(1) *Ratione Promulgationis*, vers. 2. *Lex præsentibus angelis, & iisdem tubas instantibus, est in monte Sinai promulgata*, Exod. 19: 18. seqq. adeoq; sicut olim promulgabantur edicta principum, satellitibus strepentibus buccinæ clangore, Dan. 3: 4. conf. Esa. 27: 15. sic in promulgatione legis, fuit *ministerium & dispositio angelorum*, Act. 7: 52. Tale ministerium angelicum externum & solenne, non fuit, ubi Evangelium, mysterium à seculis absconditum, Christus cœpit docere. Sed hic observa (α) Legem dici sermonem per angelos dictum; non quod illi plures eam pronunciaſſent, sed quod ijs præsentibus ac ad canendum dispositis, ea sit edicta, Gal. 3: 19. unde vides (β) Vocem *διὰ* juxta consuetudinem scripturæ, 2. Tim. 2: 2. et jam h. l. vertendam esse per præpositionem *inter*: soli quippe Filio Dei angelo increato, ac tunc præsentium Principi, tribuenda est legis promulgatio: & cœteri angeli adfuerunt tm. ibi ut ministri & adparitores; sicut quoq; decuit eum, qui jus & auctoritatem habuit ferendæ legis, non absq; satellitibus accedere; atq; horum ministerio quia Deus tunc utebatur, *lex per angelos dicitur ordinata*, Epist. ad Gal. & *noſtri ho-neſtiſſima ſanctaq; legis præcepta. per angelos à Deo acceperunt*, uti scribit Joseph. antiquit. lib. 15: c. 8. igitur (γ) Memento distinguere *inter diversos ordinationis actus*: Unus respicit Filium Dei, & complectitur ipsam promulgationem: Alter v. debetur angelis, & includit cantionem &c: atq; hi ubi conjun-

ctim accipiuntur, rectissime dicitur, quod *lex sit lata in ordinationibus sive dispositionibus angelorum*, Act. 7: 52. conf. Deut. 33: 2.

(2) *Ratione Propagationis*, vers. 3. *Doctrina Mosaica est propagata per prophetas, qui Mosen neq; in vivis viderunt, neq; legis promulgationi interfuerunt.* Ast Evangelij doctrina est propagata per Apostolos, qui Christum in vivis ceu testes viderunt, & concionantem fideles discipuli audiverunt; *annunciamus vobis*, &c. 1. Joh 1: 1. conf. 2. Pet. 1: 16. Hic igitur argumentatur Apost. ab *avrophia*, quæ doctrinæ moraliter non mediocrem auctoritatem conciliat; sicut contra, ubi illa abest, propter temporis longitudinem, rerumq; vetustatem, aliquis mendacii potest insimulari, & Mosen hoc nomine quidam improbi, nescientes splendorem gratiæ ei datum, nefarie calumniantur, vide Joseph. præfat. in lib. Antiquit. Memineris v. & hic quod *de principio Evangelii loquatur* vers. 3, *non quoad revelationem*, quandoquidem est id statim à primordio mundi revelatum, Gen. 3: 15. conf. supr. cap. 1. *Sed de eodem loquitur, quoad publicam & solennem prædicationem*, quam per ipsos spectatores Apostolos, ait esse continuatam, Marc. 16: 15.

(3) *Ratione Confirmationis*, vers. 4. *Mosis doctrina confirmabatur per tremendum terræ motum, strepitumq; tubarum*, Exod. 19: 18. seqq. *per seditiosorum mortem in deserto*, Num. 16: 20. seqq. & horribilia ejusmodi signa alia: Ast Christi doctrina est extrinsece roborata *per signa & prodigia*, non terribilia, sed auxiliantia; talia nimirum quæ erigebant infirmos, Joh. 6: 2. conf. Joh. 7: 32. Nec non *per virtutes ac distributiones; vel in genere, donorum ministrantium*, 1. Cor. 12: 4. seqq. Act. 10: 44. *Vel in specie, linguarum*, Act. 2: 3. his modis est Christi doctrina inter nos stabilita, sicut quoq; Nicodemus docet Joh. 3: 2. Notanter v. loquitur Apostolus, *primum* vers. 3. de ipsa confirmatione, facta per oculos testes; *deinde* vers. 4. de confirmatio-

firmationis modo, nempe quod oculatis testibus, vivæq; prædicationi, ad fidem faciendam in exterioribus, miracula Deus adjecit, Joh. 20: 30.

Hæc miracula exponit Apostolus (1) *Per Signa*, propter divinam virtutem, qua edebantur, *solus n. Deus mirabilia facit*, Psal. 72: 18. (2) *Per Prodigia*, propter eorum stuporem; quod fierent supra omnem naturæ ordinem, quomodo *ijs percussus est Sergius*, Act. 13: 12. (3) *Per Virtutes*, puta extraordinarias in hisce terris, & tm. varias in applicatione, olim facta per Apostolos, Matth. 10: 8. ut & (4) *Per S. Sancti Distributiones*, respiciens ut modo dictum, ad visibilem linguarum effusionem, & ministrantia dona plura, Act. 8: 17 & 10: 44. quæ Deus Apostolos suos audientibus, alia atq; alia, juxta beneplacitum suum, propitius distribuit: *qualia permulta tunc primitus fuisse edita, pauciora in posterum, ac nunc vix quoad vestigia, apud nonnullos inveniri*, ex Orig. l. 7: contra Celsum, scripsit olim Chrysost. Hom. 4. in Epist. post. ad Corint.

(4) *Ratione Obligationis* vers. 3 & 4. *Supponit legis auctoritatem semper tantam fuisse, ut violata, non nisi pœna resarciri potuerit; cujus rei testes sunt rebelles in deserto*, 1. Cor. 10: 5. Imo, tantæ auctoritatis non tm. fuit lex inter angelos lata; sed quoq; quicquid per angelos est annunciatum, debuit sacrum ac ratum haberi: unde *Zacharias* Baptistæ pater, quod angelo à Deo misso obloquebatur, usu linguæ ad tempus, est privatus, Luc. 1: 20. & *conjunx Lothi*, quod flexa cervice contra mandatum angeli respexerit, gravissime est punita, Gen. 19: 17. cum 26. *Infert igitur in hunc modum à minori ad minus: si legis transgressores debeant severe puniri, ac terre suæ improbitatis debitas pœnas, juxta rigorem, Deut. 20: 15 tententurq; multa exempla, vide Num. 15: 35. Josu. 7: 26. &c. eos pœnas luisse: quanto magis contemptum sui vindicabit* Doctrina Evangelica, quæ tot prærogativis legem antecedit.

Cum amplitudine igitur & magnitudine gratiæ, si nunc spernitur, æquabitur suo tempore, iusta vindicta, conf. inf. c. 10: 28. nam hic cum primis *existit Deus severus ultor eorum, qui se audire nolunt*, Deut. 18: 19. Unde fit quod *sicut remedia naturam habentia curativam, nescientibus his, qui utuntur, bene illis uti, corrumpunt ac pessundant; sic verbum Evangelicum quod divina intentione deberet salutem procurare, per torporem, non recte acceptum, vel neglectum, vulnerat ac damnat*, uti ex 2. Pet. 3: 16, scribit August. Epist. 141, Sed hic nota 1. *Quod vers. 2. Apost. transgressionem & inobedientiam conjungit*, tamquam nomina se invicem explicantia, etsi alias in materiali ratione, ut constat, eadem inter se differant. 2. *Nota, quod per præmii retributionem* in hac abusiva locutione (præmium proprie tantum accipitur in partem bonam) intelligit *supplicium, tam extraordinarium ab ipso Deo immediate inflictum*, 1. Cor. 10: 9. *quam ordinarium, irrogatum mediate, per magistratum*, Heb. 10: 28. conf. Matt. 18: 16.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 1. *Cur Apostolus Hebræis, auditoribus suis, se immiscet?*

R. Facit id per *νομοποιων*, quæ quandoq; prudentiæ causa usurpatur, conf. 1. Cor. 10: 6. seqq. 1. Thef. 4: 17.

II. Vers. 2. *Antulit Christus solus legem; cum ea hic pluraliter per angelos scribatur dicta.* Resp. (1) Hic contra adversarios, supponimus non angelum creatam fuisse, qui promulgavit legem, sed increatum; quippe cui soli competit nomen *Jehovah*, ibi expressum. (2) Respondemus frustra gloriari Mosen, quod *Deum viderit à facie*, Deut. 4: 32. si legis promulgationem exceperis: tunc n. & non æque alias, condescendit Deus cum populo suo. Et dicant nobis adversarij, si hanc occasionem exceperint, quo unquam tempore alio, Moses vidit *Deum à facie, & ore ad os cum eo est locutus*, Num. 12: 6. (3) Quamquam itaq; habeatur hic pluralis numerus; eum tamen ad legis recitationem trahere non debemus; quippe quam per unum factam fuisse, expresse testatur Moses: Numerum igitur

pluralem sicut nos excludimus à recitatione; ita præeunte Mose, & Stephano, unice eum referimus ad tubarum inflationem & solennia alia, promulgationem celebrantia: conf. sup. exeg. argt. tert.

III. Vers. 3. *Quomodo ex auctore potest prerogativa Evangelij deduci, cum idem sit nostra sententia, legis & Evangelij auctor?* R. (1) Voce audibili recitavit Filius Dei legem in monte Sinai: sed tamen non ita ille tunc visibiliter adparuit; sicut cum postea in assumpta carne, prædicaret Evangelium. (2) Quanquam itaq; utrobq; fuit eadem persona; tamen quoad statum, & exteriora alia (vide inf. obser. 1. & 2.) fuit personæ illius ratio diversa in Evangelij prædicatione, & legis exhibitione.

IV. Vers. 4. *An lex tantum habuit corporalia & terrena bona, sicut contra Evangelium continet bona spiritualia & cœlestia.* Resp. (1) Lex perfecte obedientibus, præter temporalia bona, promittebat etiam vitam æternam; quæ utiq; bonum quid est, & spirituale, & cœleste, Levit. 18: 5. Luc. 10: 28. (2) Sub involucris bonorum terrenorum, fuerunt etiam cœlestia: ergo dum illa lex promisit, etiam hæc promississe, recte statuitur, conf. inf. c. 11. de promiss. div. Sed hæc spiritualia ac cœlestia legis præmia, evanuerunt vitio nostro; quia *lex infirmabatur per carnem*, Rom. 8: 3. unde propter hunc calum, lex jam ceu inutilis facta, Evangelio cedit: ipsum v. *Evangelium solum, est potentia ad salutem omni credenti*, Rom. 1: 16.

OBSERVATIONES.

I. DE CHARACTERIBUS EVANGELII.

Lex præscribit facienda, & omittenda narrat, Rom. 10: 4. 5. *Evangelium v. pauperibus & vinc-tis annunciat redemptionem*, Esa. 61: 1. Ac quanquam utriusq; ratio suo modo, sit salutaris; sicut utraq; vere est divina: tamen ut legem Evangelio postponendam esse, ex textu adparet; sic *Evangelii characteres & proprietates* hinc eruuntur seqq.

I. Vers. 3. *Evangelium habet Auctorem ratione status, solenniorem.* Est Evangelij promulgator, angelorum Dominus, cœli & terræ creator ac sustentator, non sub simplici ratione, ut Deus, Esa. 58: 14. Sed prout olim fuit *promissus*, Deut. 18: 15, in tempore à S. Sancto unctus, Esa. 61: 1. nec non ad docendi

cendi munus, solenniter cum potestate *inauguratus*, Matth. 3:5. Hoc modo per Dominum, solenniter promissum, vocatum & inauguratum, non est lex promulgata; sed tenuis fuit, respective loquendo, illius promulgatoris conditio; unde & multi opinantur non per Filium Dei, sed per nudos angelos, eam esse ordinatam. *Respectu igitur hujus sui promulgatoris, talis, antiq̄, distinguitur Evangelium à lege.*

II. Vers. 3. *Evangelium habet illustriorem auctorem, ratione officii;* Christus enim qua Evangelii prædicationem ac propagationem, est Doctor illustrior, doctoribus legis: quia renunciatus *audiendus doctor coram Israël*, Joh. 1: 31. non tantum eleganter doctrinam suam proponebat; *per linguam suam eruditam & tempestivam*, Esa. 50: 4. *Sed & in sui admirationem ac stuporem, vertebat omnes*; Luc. 4: 14. *per potestatem docendi, qui gaudebat*, Marc. 1: 22. *omnes n. fatebantur neminem ac eum, sic unquam fuisse locutum*, Joh. 7: 46. Quorum similia de doctore legis in scripturis non dicuntur. *Sicut itaq̄, Evangelij doctor est amabilior doctore legis, ratione status & officij:* sic quoq; qua propagationem, superant ministros legis ministri Evangelici, & prophetis majores sunt Evangelistæ, Matth. 11: 9. Luc. 7: 28. seqq.

III. Vers. 3. & 4. *Est Evangelium miraculis & virtutibus confirmatum.* In se non opus habuit Evangelium aliqua confirmatione; est enim divina veritas: tamen sicut Deo olim visum fuit legem per prodigia stabilire; ita similiter per signa & virtutes, voluit confirmare Evangelium: atq; hæc omnia propter nos, qui præjudiciis occupati, ubi signis non consternamur, aut opprimimur virtutibus, Evangelium vel prorsus aspernamur, uti videre est ex 1. Cor. 1: 25. Vel ad minimum justo tardius ac lentius admittimus, ut exemplo sunt Matth. 8: 27. Luc. 7: 16. *Conveniunt ergo lex & Evangelium in eo, quod, Deus tam legem, quam Evangelium voluit confirmare;*

est quod Evangelium per signa & virtutes, rationes amabiles & jucundas sit confirmatum, id est quo ceu caractere, idâ lege distinguitur.

IV. Vers. 4. *Inest Evangelio divina virtus in erigendis conscrnatis conscientiis*, Psalm. 119. v. 49. seqq. In summis angustiis, ubi etiam hærent consolationes humanæ, quantocunq; verborum ornatu proponantur, ibi vivifice operatur ac consolatur Evangelium, Joh. 5: 24. 8: 51. & 11: 25. quod propterea dicitur *verbum vite æterna*, Joh. 6: 68. Talis divina vis erigens ac refocillans, non invenitur in lege; sed dum illa judicat *θεὸν ἀποδοῦναι, θεὸν ἀπὸ τῶν ἐργασμῶν*, ut ait Eurip. & quemcunq; pro merito suo pœnâ dependere, 2. Cor. 5: 10. Evangelium ἀναπνεῖ τὸ ἀμβροσίον ἄδμα, i. e. Ambrosium habitum anhelat, vetatq; *κτεῖναι τὸν ἰκέρην*, ut idem ait Eurip. h. e. contritis cordibus pollicetur refocillationem, Matt. 11: 28. unde etjam per hanc gratiam, tanquam singularem sui characterem, â lege distinguitur Evangelium.

II. DE MIRACULIS.

I. *Miraculorum Causa Efficiens est Deus*: (1) Expresse id testatur Petrus, Act. 3: 12. (2) Hinc Apostoli edituri miracula, Deum invocarunt, Act. 3: 6. (3) Si penes Apostolos, quoties & ubi voluissent, miraculorum edendorum fuisset potestas, Paulus ægrotantem Epaphroditum, quem summo pere amabat, post se vix reliquisset, Phil. 2: 27. (4) Hic quoq; indicatur, quod Deus illa edat, *pro sua voluntate*, vers. 4.

II. *Sunt Miracula Varia*, nec uno modo contingunt: hinc per signa, prodigia, virtutes & distributiones, Apostolus ea describit, conf. sup. exgref. vers. 4. Neq; tamen tu credideris omnibus miraculis, quæ jactantur; *nonnulli enim ex præpostera pietate miracula fingunt*, volentes Christum hoc pacto perpetuum sibi devincire: atq; hi nullam fere Martyris, nullam virginis vitam prætermittunt, in quam non aliquid inferant,

quo vetula quæpiam, aut delira lacrimetur, aut pavida inhorrescat; quasi nimirum veritas sibi ipsa non sufficeret, nisi fulciretur mendaciis, & quasi liceret mala facere, ut eveniant bona, contra Rom. 3: 8. *Alii miracula comminiscuntur ex intempestiva quadam voluptate*, dum servientes suæ levitati & libidini ex simplicium, imò quoq; prudentium, si possunt, credulitate incauta, arcessunt sibi voluptatem damnabilem. *Sunt etiam qui fabulas fingunt ex odio nominis Christiani*; & hi ut suis figmentis ad miracula scripturæ alludunt: sic fabularum suarum fictarum commercio, sperant se fidem veris nostris sacris historiis posse adimere: labefactatur enim ut sciunt, auctoritas, ubi admixtum subolet mendacium. hoc tentarunt olim Magi Ægyptii, Exod. 7: 22. & ad conflandam aliis invidiam vel odium stratagemate insidioso, audent nonnulli etjamnum. Hi omnes quocunq; animo, quacunq; intentione, fabulas aut tragœdias serunt, religionem figmentis suis contaminant. Tu igitur illos vita, nisi vel damnari superstitiosa formidine, vel pro ludibrio apud vanissimos nebulones traduci, vel committere velis, quæ divina sursum deorsumq; præcipitabunt. Solas vero miraculorum historias, quas scriptura divinitus inspirata, nobis commendat, indubitata fide recipe: & cæteras sic audi sub fide morali, sicut commodis auctoribus sparsæ, Christi doctrinæ judicantur consentaneæ: *conf. Luciani Philopseuden, & in eum Gilberti Cognati argumentum.*

III. *Omnia Miracula Præbent Veritati Testimonium.* Quicquid itaq; naturæ ordinem vere invertit aut immutat, & veritati dat testimonium, id pro miraculo est agnoscendum, & contra; quod veritati non dat testimonium, & si nobis mirabile videatur, non tamen pro miraculo est habendum, sed putandum *Sathana præstigiis nobis illudi, ac eum* (jam mediate, jam immediate) talia mirabilia facere; *vel adparenter*, oculos nostros fascinando; *vel vere*, adjuvento causarum secundarum nobis

nobis qua existentiam aut adplicationem, ignotarum. Vena igitur sunt mirabilia papistica, quæ non tantum non dant veritati testimonium, sed eam in scriptura sacra manifestatam, quoq; impugnant: contra hos itaq; dum dicunt se miraculis velle suam doctrinam confirmare, pugnamus productione causarum, quibus latentibus conantur nobis imponere, ac tandem usurpamus illud Deut. 13: 1. *Si surrexerit* &c; conf. D. D. Danhavv. de Miracul.

IV. Spectant Miracula, partim Doctorem, partim ipsam Doctrinam. (1) *Per signa* apud Pharaonem magnam auctoritatem sibi conciliarunt Moyses & Aron, Exod. 4: 17. quomodo & Christus per sua signa, quæ in terris edidit, est *magnus Propheta dictus*, Luc. 7: 16. & *Filius Dei creditus*, Joh. 20: 31. (2) *Effusio autem S. Sancti visibilis, ut est donum linguarum*, cum primum respiciunt doctrinam Christi: unde hisce perculsi Seniores & Scribæ, *vim doctrinae* dicuntur admirari, Act. 4: 13. Atq; ita signa ac prodigia doctorem & doctrinam commendant.

V. Sed annon pariunt fidem salvificam? Non sunt de natura verbi divini, nedum Evangelici, quod solum fidem justificantem producit: non possunt igitur fidem operari, quæ alii causæ, quam ipsis, ex consilio & bonitate divina, debetur, Rom. 10: 14. seq. at nihilominus duobus aliis modis, subiectum credens disponendo, fidem extrinsece promovet: (1) *Fidei viam faciunt*, dum perfringunt crassiorē diffidentiam hominis credituri, & ita relinquunt eum operationibus S. Sancti, pædagogice magis oportunum: quo respectu non incommodè ab August: ita ego interpretor, dicuntur *introitus ad Fidem*. (2) *Fidem ex verbo Dei ante conceptam, moraliter confirmant*, Rom. 16: 20. Joh. 20: 31.

II. PARS

De Majestate Christi amplius exposita, & per
Scripturam Sacram confirmata,

EXPLICATIO.

Ad Majestatem Christi revertitur Apostolus, *vel propter eos*, qui objiciebant, Christo superiores esse Angelos; propter legis, ut opinabantur, promulgationem; *aut* quod regnis terrenis illi sint præpositi, Dan. 10: 13. Vel etjam ad illam revertitur, *propter reliquos*, qui Christum ut nudum hominem contemnebant: Hos tales ut Apostolus convinceret, sicut ante docuit Christum Angelis esse superiorem, respectu utriusq; naturæ; sic nunc eandem prærogativam etjam respectu Officii Regii, Ei asserit: unde

1. *Argumentatur A Dominio Futuri Orbis*, vers. 5. Ubi notas (1) *Subjectum quod est Christus*, consideratus secundum humanam naturam; eum enim adpellat *Filium hominis*; eumq; dicit *imminutum fuisse*, & demum post passionem coronatum, vers. 6. & 7. quæ omnia attributa sunt non divinæ ejus naturæ, sed humanæ. (2) *Expende Objectum quod est Futurus Orbis*, vers. 5. Per *Futurum Orbem*, quidam intelligunt presentem hunc orbem habitabilem, qui nutui Dei totus subjacet, Nahum 1: 5. atq; hunc dicunt iidem futurum scribi; *Vel* in ordine ad æternitatem Christi, de præterito consideratam; *Vel* ad tempora Davidis, quibus præsens hic orbis merito Messia, erat quasi instaurandus. *Alii vero per eundem intelligunt homines, in hoc orbe viventes*, & Ecclesiam Christi constituentes, quod hi nomine orbis indigentur, Apoc. 3: 10. conf. Esa. 51: 16. & sint per Christum spiritualiter novi facti; unde dicuntur *in Christo conditi*, Eph. 2: 10. & *nova creatura* adpellantur, 2. Cor. 5: 17. Sunt in utraq; opinione auctores bene multi: *Sed sine dubio rectius de futura Ecclesia, futuroq; Mundo*, hunc futurum orbem explicamus, (α) *Propter sequentia parallela loca*, Esa. 65: 17. Esa. 9: 6. Apoc. 21: 1. Hebr. 13: 14. &c. ad quæ videtur Apostolus hic alludere. (β) *Propter Apostoli scopum*, qui fuit Sacerdotium Christi, illiusq; fructum indigitare, Hebr. 9: 11. is vero quia amplior;

amplior carpitur in coelis, quam in terris; inde conijcere fas est, cum potius ad Ecclesiam futuram, quam præsentem respexisse. (3) *Nota Domini formam*, quæ ostendit, quomodo Christus homo, futurum orbem tenuit subiectum: non habuit eum Christus tunc subiectum, qua actualem existentiam, membris multis nondum prognatis; Sed tamen dicitur habuisse omnia sibi subiecta, propter imminentem certitudinem; sicut hoc nomine, *præterita apud Hebræos sæpe ponuntur pro futuris*: Denominatur itaq; hic Christus homo, à potenti suo dominio, *quod potestas Ejus à mari usq; ad mare, & à fluminibus usq; ad flumina terra*, Zach. 9:10. seqq. sicut etjam ad hoc dominium suscipiendum, ille *resurrexit ac revixit*, Rom. 14. 9. Das muß man glauben und bekennen/ Christus der Mensch sitzt zur rechten hand Gottes/ und hat gewalt über die Engel/ und ist nichtes in Himmel und erden/ das nicht unter ihm sey &c. der da in götlicher Majestät / und doch auch in Menschlicher natur gewaltigligh uns regieret/ als unser Herr und König in ewigkeit/ das wir von ihm und durch ihn alles haben/ scribit Luther. Tom. 7. Jen. G. super Psalm. 110. f. 308. b.

II. *Confirmat Argumentationem Suam* dicto quodam scripturæ, petito ex Pl. 8: 5. *Quid est homo, quod memor es ejus, &c.* Ubi vides: (1) *Quod* vers. 6. *non indigitat nomen aut numerum Psalmi*, quem citat; hoc ideo factum esse puta, quod ad eos scriberet, qui veteris scripturæ fuerunt gnari: (2) *Nota, quod ibidem sicut memoria & visitatio se invicem explicant*; sic per utramq; vocem, intelligitur gratiosa visitatio, per quam Christus Filius hominis, ad tantum fastigium est euectus, *ut in ipso habitet tota plenitudo divinitatis corporaliter*, Col. 2: 9. & per eam Christus à mortuis suscitatus, *constitutus est ad dexteram Dei in cælestibus, super omnem principatum, & potestatem, &c.* Eph. 1: 20. seq. conf. hic inf. 8: 1. (3) *Nota quomodo vers. 7.*

seq. *Christi utrumq; statum describit; tam Exinanitionis, quem appellat ἐλάττωσι; quam Exaltationis, quem nominat σεφάνωσι.*

PRIOREM *Christi statum seu Exinanitionis, describit quoad quantitatem, & qualitatem extrinsecam: dicitq; (1) Respectu quantitatis, quod brevi tempore duraverit; scilicet donec passione & morte salutem nostram restauraret: ea vero periodo absoluta, est Christus omnium Dominus factus, conf. Act. 5: 30. seq. (2) Respectu qualitatis, scribit quod fuit is statu angelico inferior: Hic vide α. quod potuit status Christi conferri, illum totalem evacuationem non intulisse: quod enim potest conferri, illud non est prorsus vacuum: ac proinde exinanitio Christi, non fuit donorum Ejus divinorum evacuatio, i. e. non fuit ita Christus exinanitus, sicut exinaniti sunt Assyrii, omnibus bonis spoliati, &c. Nahum, 2: 9. sed vere etiam in exinanitione, ille possidebat omnia, per gratiam unionis; licet eorum solenni usu ac usurpatione, frequentius sponte abstinebat, Phil. 2: 9. conf. F. C. de persona Christi th. 10. seq. *Majestatem ratione unionis personalis semper Christus habuit; sed in statu suæ humiliationis sese, exinanivit, &c. quare majestatem illam non semper, sed quoties ipsi visum fuit, exercuit; &c. β. Vide, cur Angelis dicat Christum fuisse inferiorem? Primum gestavit Christus corpus caducum & mortale. Deinde in profundissima sua exinanitione i. e. tempore passionis & mortis, sensit ille varios cruciatus, unde dicitur pluraliter *mortes gustasse, Esa. 53: 9. Sicut tertio in angustiis & doloribus constitutus, necessum habuit consolatione juvari, Luc. 22: 43. His nominibus, fuit tunc conditio ejus infra conditionem Angelorum; quippe qui sunt spiritus fulgentes, & nec cruciatus sentiunt, nec opus habent consolatione. Potuisset sane Christus à primo incarnationis momento, secundum humanam naturam, propter unionem personalem, plenaria usurpatione, Majestatem divinam exercere, assumtamq; carnem fulgore divinarum***

narum operationum plenissime illustrare, seq̄. ut verum, omnipotentem & gloriosum Deum judæis & mundo ostendere, si voluisset; sed noluit id facere, prater vocationem, & ante tempus, sicut scribit D. D. Chemnit. lib. de duab. Nat: in Christo, cap. 33. atq; hoc est quod legitur ad Philip. 2. cap. qui cum esset in forma Dei, &c. nam quamvis fuit in forma Dei, qua divinam majestatem, & qua divinum fulgorem; non tamen ἀπαύρητος ἢ ἡσάρο i. e. juxta phrasin græcam, non more ejus qui inhiat oblata alicui rei, avide arripuit τὸ εἶναι ἰσα θεῷ i. e. esse Deo æqualem: sed aliquandiu seipsum exinanivit, ferens ut gloria debita paulisper careret, & expectans tempus quo pater eum exaltaret, conf. Erasmi Smid. super Philip. 2.

Verum hic objicere potuerunt judæi, non esse illum angelis præstantiorem, qui patitur, moritur & indiget consolatione: Ad hanc objectionem refellendam, subjicit Apostolus statum Exaltationis; ostendens quod quamquam Christus brevi tempore fuit passus, & infra sortem angelicam dejectus, est tamen nunc ille gloria & honore coronatus, Phil. 2: 9. Eph. 1: 20. nec non constitutus super omnia opera creata, Act. 2: 36.

POSTERIOREM Christi statum seu Exaltationis, explicat hic Apostolus per duos actus, qui vers. 7. innuuntur. nimirum,

I. Vers. 8. Per universale ac totale divinum imperium, in omnia creata. scribit: omnia sunt pedibus ejus subjecta, i. e. profectus est in cælum, subjectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus, 1. Pet. 3: 22. & sic oportet eum regnare, 1. Cor. 15: 25. quo respicit Aug. Conf. art. 3. quæ dicit: Ecclesia magno consensu apud nos docent, Christum adscendisse ad cælos, ut sedeat ad dexteram Patris, & perpetuo regnet ac dominetur omnibus creaturis. Sed mox negat Apostolus illa omnia nobis esse conspicua: scilicet consideratur Christus dupliciter, vel Personaliter ut Deus & homo; vel Ecclesiastice ut corporis sui mystici caput, Act. 9: 4. conf. Ps. 69. Priori modo habuit Christus sibi omnia subje-
cta,

jecta dum statum exaltationis est ingressus, & dum forma ser-
 vi post resurrectionem plane est prorsus deposita, in plenariam usurpa-
 tionem divinae Majestatis est collocatus. Itaq; jam non tantum ut Deus,
 verum etiam ut homo &c. omnia quae in caelis, et terra et sub terra
 sunt, sub pedibus suis et in manu sua habet, ex Matth. 28: 18. scri-
 bit E. Conc. de Pers. Ch. p. m. 608. Hoc vero posteriori
 modo consequetur Christus sibi corporiq; suo subjecta eadem
 in extremo judicio, 1. Cor. 15: 22. seqq. & ita nondum nos
 videmus omnia pedibus ejus subjecta: nam quamquam jam
 nunc simus Filii Dei, nondum tamen est patefactum, quod erimus,
 1. Joh. 3: 1. & sic est adhuc in Deo vita nostra cum Christo abscon-
 dita, Col. 3: 3.

II. Verf. 9. *Explicat statum exalta-
 tionis per coronationem glo-
 ria et honoris. Est corona (1) Insigne victoris; coronantur enim
 Duces bellis ac periculis defuncti: Similiter ubi ex malis &
 angustiis suis, Christus est eluctatus; & ille instar victoris,
 coronatus est, Apoc. 6: 2. & quidem corona aurea, Apoc.
 14: 4. quo in modum etiam nobis vincentibus promittitur
 corona vitae, Apoc. 2: 10. Jacob. 1: 12. & qui vicerunt, in tri-
 umphante ecclesia, coronas gestare dicuntur, Apoc. 4: 4. 10.
 (2) Est corona Insigne Potestatis Regiae, ut patet in judaeis, ex 2.
 Sam. 1: 10. 2. Reg 11: 12. & in Persis ex Esth. 6: 8: &c. Simili-
 ter est Christus deposito statu servili, instar Regis coronatus,
 non amplius in ludibrium, corona spinea, Matth. 27: 29.
 sed gloria & honore Psal. 8: 6. Atq; ita sicut victor repor-
 tata victoria, corona sua incedit gloriosus; Et sicut Rex inter
 multitudinem erigit caput ornatum diademate, nitens
 gemmis & auro: sic deposito humili atq; abjecto exinanitionis
 statu, est Christus postquam triumphum retulit ex ho-
 stibus suis, in suo regno, gloria infinita coronatus: i. e. ac-
 cepit nomen super omne nomen, Phil 2: & est Dominus ac Christus
 factus Act. 2: 36, conf. Chem. de D. N. in Christo c. 33.*

Non igitur consistit hæc Ejus gloria in cruce, quæ fuit Ejus status humilis; nec propter crucem & passionem, hanc gloriam ceu mercedem, est Christus consecutus: verum antecedentem passionem est gloria hæc subsecuta ceu consequens præmium, conf. Luc. 24: 26. 1. Pet. 1: 11. quamquam itaq; occurrat hic vox *δικαίωσις*, nam tamen habet illa hoc loco significationem meritoriam, sed finalem: atq; ideo etjam ipsa gloria, non ut meritum, secundum debitum; sed ut gratuitum donum, dicitur Christo data & collata, Philip. 2: 9.

Propter adversarios suos, Christi contemptores, tam suis quam Davidis verbis, perpulchre hætenus asseruit Apostolus Christi dignitatem Regiam, & per consequens, præ Angelis, evicit Ejus prærogativam infinitam: quæ tam plana fecit, ut recte illis contradicere, illi nec possent, nec auderent; obitreperere tamen potuerunt, (1) *Si Christus est Rex, quæ necessitas adegit eum, ut in mundum descenderet, ac pateretur?* Propter hæc explicat Apostolus vers. 9. passionis causam finalem, quæ fuit, ut *Christus gratia Dei exhibitus*, Joh. 3: 16. *pro omni creatura*, Marc. 16: 15. *i. e. pro omni homine*, 1. Tim. 2: 4. *instar emissarii hirci*, Lev. 16: 21. *gustaret mortem*, Joh. 8: 52. conf. Esa. 53: 9. Per verbum *gustare* respicitur tam ad brevitatem passionis, Ps. 16: 10. quam ad poculum amaritudinis, Matt. 26: 39. (2) *Potuerunt iidem judæi querere, remerene ipse in mundum se immisit &c. an venit Patre consentiente?* Apostolus igitur vers. 10. ostendit cum decreto & voluntate divina, hanc redemptionis rationem convenire, dum dicit: *deceit Eum* (puta Deum patrem, cujus virtute & potentia omnia sunt facta, & ad cujus gloriam omnia sunt facta) pro summa sua sapientia & bonitate, *cum multos filios i. e. credentes vellet in gloriam*, per passiones adducere; similiter per passiones consummare & perficere Christum, *eorum salutis principem*. cōf. Act. 3: 15. Atq; ita ut illi non consummantur per passiones meritorie, sed solum juxta viam ordi-

nis, per tribulationes ingrediuntur regnum caelorum, Act. 14. 22. sic nec est Christus per passiones consummatus meritorie; sed demum illis, nostri causa absolutis, juxta ordinem divinitus sancitum, est ille *gloriam suam ingressus*, Luc. 24. 26. conf. inf. quaest. 16.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 5. *Annon eadem significatio τῆς δεικνύνης* h. l. & τῆς κούμυ, Heb. 1: 2? R. (1) Occurrunt utrobique diversæ voces. (2) *δεικνύνη* hic expresse restringitur ad futurum seculum, quod non fit cap. 1. (3) Ut igitur dispar est vocum ratio; sic quoque variat locorum ratio. & (4) Agit Apost. de *effectione* cap. 1. hoc vero capite, agit de *subjectione*: Vani igitur sunt *Sociniani*, qui ex restricta hujus loci significatione, volunt argumentum divinitatis Christi cap. 1. ex creatione desumptum, insidiosè extenuare.

II. Vers. 6. *De qua re loquitur literaliter hic Psalmus?* R. (1) *Judæi literaliter eum exponunt de omnibus hominibus in genere*; sed illi longe falluntur: nam dominium in omnia elementari mundo subjecta, est homini per lapsum ademptum; conspirant enim nunc magis multæ creaturæ in hominis perniciem, quam patiuntur eum sibi dominari. (2) *Sunt alii, qui de hominibus renovatis eum interpretantur*. Fatemur per obedientiam Christi, restitutam nobis esse hæreditatem, & ita qualiterque recuperatum dominium amissum; fatemur deinde quæ Christo Capiti sunt subjecta, etiam membris per fidem illi insitis, utcumque esse subjecta; hinc *Abrahamus dicitur heres mundi*, Rom. 4: 13. & *nos judicabimus mundum*, 1. Cor. 6. 2. sed tamen propter rationes, quæ modo adducentur, de illis psalmum exponere, non sustinemus. (3) *Geminant quoque aliqui*, parum erudite, *sensum literalem*, constituentes alterum de genere humano, alterum de Christo. (4) Nos vero putamus psalmum unice de Christo agere, atque id sequentibus rationibus suspicamur planum esse: 1. Christus ipse versiculum tertium, dum pueri *Ei Hosanna adsinebant*, sibi applicat, Matth. 21: 16. 2. Refert Paulus ad Christum subjectionem illam, 1. Cor. 15: 27. 3. Neque potest talis totalis subiectio cuiquam alii, quam Christo tribui; sicut quoque 4. Hoc loco tres continui versus ad Christum applicantur; quæ omnia solide.

vide evincunt de Christo, & non aliis, hunc psalmum octavum esse intelligendum.

III. Vers. 7. *Imminuisti &c. An igitur literaliter non loquitur de genere humano?* R. Qui verba illa sic interpretantur; illi *imminutionem* istam explicant de generis humani inferioritate præ Angelis; vide *Pareum, Estium, Enjedinum*: sed literaliter eum de Christo explicari debere, patet ex diversis Christi statibus qui hic, & Phil. 2: capite, emphatice describuntur. Vanus igitur consequenter est *Enjedimus*, dum ideo suspicatur hanc Epistolam non esse Pauli; quod locum, ut opinatur, de conditione generis humani, male adplicet ad vilem Christi conditionem explicandam.

IV. Vers. 7. *Si Angelis minor, ergo non Patri æqualis?* R. (1) Quatenus Deus, est Patri æqualis, Joh. 5: 18. quatenus vero homo, est Patre minor, Joh. 14: 28. (2) Non infertur h. l. inæqualitas naturæ, sed officii, ac cumprimis *Sacerdotalis*, quatenus sub forma servili, i. e. in infirmitate, Christus debuit pati & mori.

V. Vers. 7. *An Christus propter humane nature assumptionem, sit Angelis inferior?* R. (1) Si ita esset, etjamnum foret Christus iisdem inferior; quia assumptam humanam naturam adhuc retinet: id vero quia absurdum est, hinc recte arguitur, *incarnationem in se spectatam, nullam humiliationem ponere*, aut saltem *ὑποτάξεως* esse, (jam populariter loquimur cum aliquibus Patribus) sed *ἀτάξεως* ut lib. 3: c. 1. scribit Damasc. (2) Ostendit Apostolus desisse nunc illam inferioritatem; at inseparabiliter est natura humana cum *λόγῳ* conjuncta: *personatur enim hypostasi Filii Dei*, uti loquuntur Scholastici. E. *Wodu mir Gott/ oder den Sohn Gottes hinsetzest/ da muß du mir auch die menschheit mit hinsetzen: Sie lassen sich nicht sondern/ und von einander trennen/ es ist eine person worden;* ex Luth. scribit F. C. fol. 312. b.

VI. Vers. 7. *Christus an imminutus ab Angelis, ut hic dicitur; an à Deo, uti dicitur, Psal. 8: 6.* R. Secutus est Apostolus 70. interpretes, qui sic vertunt, quemadmodum hic legitur. Estq; *in re ipsa inter Psalterem & Apostolum, suavissimus concentus*: nam quem deserit & imminuit Deus; eum deserunt ac imminuunt etjam Angeli, ad nutum Dei intenti, Psal. 103.

VII. Vers. 8. *Si est Angelis inferior factus, an igitur ab illis in statu infirmitatis non est adoratus?* R. *Supponunt hic quidam quod abdicavit se Christus plenario & incessante usu officii sui etiam Regii; quia forma servi deposita, quoad idem officium, nempe regium; est gloria & honore coronatus, Psal. 8. ac super omnia manuum Dei opera constitutus, Act. 5: Atq; illi quæstionem propositam affirmant, dicentes; sicut illa *κένωσις* à Deo erat accepta, sic Angeli, qui voluntati Dei se semper conformant, Psal. 103: 20. ad illam attenderunt; ac proinde sicut illa (*malem si illa*) plenarium & incessantem usum Majestatis adorabilis suspendit; sic etiam illi Filium Mariæ, suum Dominum, in statu exinanitionis, incessantur non sunt venerati. ita loquuntur & scribunt quidam Theologi ingeniosissimi. *Sed vix illis posteriores sunt ceteri, qui contra nituntur, putantes humiliationem affecisse Christum, tantum quoad officium Sacerdotale & Propheticum: Christum vero qua Regem, dicunt iidem in medio passionis & mortis, gubernasse omnia, sed non Majestatico & glorioso modo: Inter se igitur de his disceptant utrinq; acriter: sed ut sapientia vera est, nolle nimis sapere, teste Scalig. Exerc. 274. sic in his cavendum, ne volentes loqui de Dei profundo, mergamur in profundum, uti loquitur Aug. serm. 6. de verb. Apost. Nos ab hac curiosa & scandalosa quæstione abstinemus de industria, non tantum quod sine illa, imminutionem hanc Christi relativam (præ Angelis) possumus explicare, ut liquet ex exegesi nostra; sed præprimis ut consulamus paci & tranquillitati Ecclesiæ, quæ præjudiciis occupata, vix sine scandalo, potest quæstionis evolutionem audire; sicut quoq; ea est ratio principiorum, quæ hic utrinq; acceptantur, ut contentio de illis orta, teste Germania, magis prudentia politica seponatur, quam evidentiæ rationum componatur aut finiatur.**

VIII. Vers. 8. *Si omnia sunt Christi pedibus subiecta, jam etiam loca omnia, eorumq; *πρασυατα* erunt ei subiecta?* R. Ita est: & si aliter esset, jam illa haberent Christum subiectum, & non is eis dominaretur. *Inst. Illa ei tantum sunt pervia, & patent propter Ecclesiæ regimen.* R. (1) Sic Ejus conditio non erit melior conditione angelorum, quibus similiter loca omnia patent. (2) Sicut Christus nunc omnia adimplet secundum humanitatem, Eph. 4: sic quoq; præsens omnibus locis ac intervallis dominatur. *Inst. An igitur hu-*

mana Christi natura ipsa omnipræsens? R. Per ac præpter unionem personalem est illa omnipræsens facta, postquam in illocalem hypostasin est assumpta, non vero est essentialiter omnipræsens facta, sicut quoq; *ωαρωύμωσ εωσ ᾱσ α* est, non ipsa hypostasis facta. *Inst. An humana Christi natura infinita?* R. (1) *Infinitas & omnipræsens operosa*, quæ ad creaturas refertur, *non sunt unum & idem*: nam infinitus fuit Deus ab æterno, sed demum in tempore, sic cœpit ille esse omnipræsens. (2) *Dist: inter virtutem præsto adessendi, & illius exercitium*: illa reciprocatur cum infinitate, & immensitate, &c. sed hoc non item. (3) *Nititur itaque hoc exercitium*, quod innuitur per omnipræsenciam, *liberrima Dei voluntate*, quæ res libere creavit olim, & earum plerasq;, quando placet, libere rursus destruet. (4) Adde, variare multum attributa divina, *prout procedūt ad extrin, etsi in se & ad intra, sint unum & idem, conf. Theol. nostros polem: & vide etjam inf. hujus capituli part. 3. quæst. 8.*

IX. Vers. 8. *An quia communicatam Majestatem nos non videmus, Christus illam non accepit?* R. Est infirma collectio; & pari modo in Patrem iniqua, cum nec eum videamus Majestaticè dominari.

X. Vers. 10. *Si Christus demum post passionem est coronatus, erga humanitas ejus ante ascensionem, non habuit omnia Deitatis attributa?* R. Omnia illa possidebat humanitas ejus à primo conceptionis momento, quemadmodum quoq; tempore exinanitionis eorum quorundam micantes radios, pro voluntate sua, quandoq; emittebat, F. C. 305. a. *ast exercitium eorum incessans*, ut defungeretur suis officiis, tunc vel suspendit vel retraxit: post resurrectionem vero, omnibus in infirmitate peragendis defunctus, & *σὺν πατρί*, Deo Patri factus, retracta solvit, & suspensa repetiit, atq; sic *in plenariam usurpationem, manifestationem & declarationem divine Majestatis est collocatus*, Epit. F. C. de Christo th. II.

XI. Vers. 9. *An Christus per passionem, hanc exaltationem & coronationem promeruit?* R. (1) Præpositio *διὰ* non notat hic causam meritoriam, sed consequentiam ordinis; vide explicationem textus ad vers. 9. & 10. (2) Veteres vero fuerunt hic vel suspensi, vel parum solliciti, vide illos in Pelargi Passion. & conf. F. C. 203. a.

XII. Vers. 9. *An recte scribatur *χωρῆσι θεῶν*?* R. Equidem habetur in quibusdam codd. *χωρῆσ θεῶν*, sicut quoq; legunt nonnulli

codices Syriaci; unde *Nestorianis*, quod avide amplectuntur, nectitur validum patrociniū: nimirum *Deum non esse passum*: Sed tamen meliores sunt alii codices, sicut & ille Syrus, qui dicit; *Gir Eloba*: quippe qui non docent quod Christus, excepto Deo solo, pro omnibus aliis, etiam Angelis, sit mortuus, uti explicant & volunt Theodor. Theophyl. & OEcum: tantoq; minus docent Christum sine persona Filii Dei, esse passum, quemadmodum somniant Nestoriani: sed id tenent, quod Christus *gratia Dei sit exhibitus*, Joh. 3: 16. Rom. 5: 8.

XIII. Vers. 9. *Si mortem tantum gustavit, jam non est vere mortuus?* R. (1) Vere est mortuus; sed quia non mansit in morte, mortem tantum dicitur gustasse. (2) Habetur etiam respectus ad poculum amaritudinis, quo passio & mors Christi denotatur, Matth. 26: 39.

XIV. Vers. 9. *An gustavit Christus mortem meritorie; an demonstrative?* R. Posterius affirmat *Socinus*, putans eā phrasi hoc intelligi; quod sicut Christus à morte sua est coronatus; sic similiter post passiones nostras, nos coronabimur. Sed (1) aliter scriptura, Heb. 10: 10. Nec (2) Gustavit Christus pro nobis mortem, quatenus post mortem gloria est coronatus: sed pro nobis mortem meritorie gustavit, sicut quoq; se exinanivit, ut pro nobis pati & mori posset.

XV. Vers. 10. *An salvatio nostra per Filium, tantum fuit civilis decentie?* R. Ita inferunt *Pontificii multi*, occasione verbi *decurit*. sed tamen (1) Ut infinita satisfactio requirebatur; sic opus fuit persona infinita, tanto operi faciente satis. (2) Est aliquod decens sæpe necessarium, sicut etiam hæc vox pro necessario accipitur inf. cap. 7: 26. Ac (3) h. l. non significat externam speciem decori, sicut fit, 1. Cor. 11: 13. Sed quod ex Dei ordinatione, & juxta voluntatem Ejus, fieri convenit ac debuit, sicut hæc significatio occurrit, Matth. 3: 15.

XVI. Vers. 10. *Ostenditne hic locus omnia per Christum esse creata?* R. (1) τὸ posterius *propterea* non quadrat in Christum hominem, ergo nec prius, cum sermo sit de una eademq; persona, considerata juxta eandem naturam. (2) Rectius igitur τὸ τελειῶσαι vertitur *active*, quam *passive*. (3) Evidetq; Deum esse finem omnium operum, exoritur hic sensus: sicut propter Deum & per Deum omnia sunt creata, debentq; omnia creata per harmoniam Ei inservire:
sic

fic voluit Deus inter salutis auctorem & salvandos, similiter harmoniam existere; adeoq; sicut per passiones, in gloriam adduxerat multos Filios adoptivos; sic Filium suum naturalem, salutis auctorem, similiter per passiones consummavit, Rom. 8: 29.

XVII. Vers. 10. *An hi ducti Filii Dei arguant diversitatem vel medii salutiferi; vel subjecti salvandi?* R. (1) *Respectu Medii: non est nobis aliud nomen datum, &c.* Act. 4: 12. & *per fidem ex gratia, æque ac veteres, credimus nos salvari*, Act. 15: 11. (2) *Respectu Subjecti Salvandi*, dicimus hos filios, *α. non fuisse Angelos*: etenim hi pro diversa conditione sua, Sacerdotio Christi, vel non opus habuerunt, vel eodem illos Deus est dedignatus. *neq; β. putamus eos fuisse certos homines, absolute*, ut Calviniani somniant, electos; cum homines qui electi sunt, sint omnes electi *juxta ordinem* mediorum, juxta ac recte, in tempore usurpatorum, Act. 13: 48.

OBSERVATIONES.

DE DIVERSIS CHRISTI STATIBUS.

Status Christi non est præcise ejus incarnatio, sed illam insequitur; nam non λόγος ὁ ἁρξ, sed Christus incarnatus, est exinatus & exaltatus; *qui descenderat, ipse est, qui etiam ascendit longe supra omnes cælos, ut impleret omnia*, Eph. 4: 10. *Nec est status Christi alterius natura in ipso, essentialis aliqua proprietas*. variavit enim ille & immutatus est, dum humilitati & ignominia succcessit celsitudo & gloria; quod de essentiali proprietate non potest, nec debet dici. *Est igitur status Christi peculiaris quadam conditio, quæ Christum incarnatum afficiebat*, non secundum divinam naturam, quæ diversimode affici aut mutari non potest, Mat. 3: 6. sed tantum secundum naturam humanam, secundum quam, sicut illa sola accidentium & diversitatis in se & per naturam, capax est; Christus pro liberissima voluntate & dispensatione, circa usurpationem donorum ipsi communicatorum, mirabiliter variavit, Phil. 2: 6. seqq. *Scilicet quemadmodum œconomus dispensando pro arbitrio, universæ domus bona curat fideliter*, 1. Cor. 4: 2. & *prudenter*, Matth.

Matth. 24: 25. sic Christus longe melior œconomus quam qui ex schola Xenophontis prodiit, quæ in humana natura per gratiam unionis habuit, fideli ac prudenti dispensatione in Ecclesiæ bonum, quoad usum demisit ac reassumpsit; atq; hæc donorum communicatorum dispensatio, circa usurpationem diversa, status Christi diversos constituit.

I. DE EXINATIONE.

I. *Quomodo dicitur?* Dicitur (1) *imminutio* h. l., respectu facto ad Angelos, præ quibus Christus in exinatione sua est imminutus. (2) *inf. c. 5: 7.* dicitur *dies carnis*, cum reflexione ad tempus, quo Christus mortalis inter nos mortales vixit. (3) *Phil. 2: 7.* dicitur *κένωσις*; quam vocem ceu generalem, ac omnibus officiis, actibusq; Christi, ex mente Apostoli communem, auctores servientes scopo suo, vertunt *vel evacuationem, vel humiliationem, vel suspensionem, vel retractionem, vel occultationem*: hisce quippe modis videtur Christus ratione officiorum suorum trium, *κένωσις* suam implevisse. (4) *Matth. 20: 28.* adpellatur *ministerium*, propter finem officiorum, Prophetici, *Rom. 15: 8.* & Sacerdotalis, *Heb. 8: 2.* (5) addunt nonnulli quod *Eph. 4: 10.* adpellatur *descensus in inferiores terra partes*, α. propter phrasin scripturæ, *Psal. 139: 15.* & β. propter oppositionem inter τὸ descendere ac adscendere; ita opinantur *ex veteribus Flacius 1 part. clav. p. m. 453. Ægid. Hunn. tom. 3. operum Theol. sect. 2. fol. 550. & inter recentiores in suo μνημοσύνη ac confessionis Symbolo M. Ægid. Wildius Superint. Plaviensis.* Sed nobis non placet illorum opinio, qui videmus 1. *ibi descensum non humilem, sed gloriosum describi*: desumit enim illa verba Apostolus ex *Psal. 68*, qui continet carmen triumphale, & nihil canit nisi gloriosos triumphos: atq; ita 2. *observamus prænominatos doctores falli fallacia tam phræseos*, dum putant eadem esse *inferiora terra*, in quibus formamur *Psal. 139.* & ad quæ Christus descendit, *Phil. 2: 10.*
quam

quam oppositionis; dum putant descendere & ascendere, hic opponi in ratione generica & finali, quoad diversos status, quum solum opponantur disparate, & hic ceu unius generis & unius status, nempe exaltationis, distinctæ species recensentur: Nobis ergo sufficiunt nomina ante recensita, nec descensum nos pro Synonymo accipimus, nisi quatenus incarnationis consequens, i. e. *humiliationem passionis*, stricte notat.

II. *Quid est? Exinanitio non est nuda privatio vel defectus donorum divinorum*; nam sicut natura humana cum verbo esse unita nunquam desinit; sic nec Majestatem (dona divina) in unione acceptam, illa unquam deponit vel amittit: sed quæ quantaq; fuit Majestas, sub momento conceptionis Ei data: ea tantaq; fuit & mansit illa, per totum exinationis tempus: nimirum etiam per totum exinationis tempus, & in diebus carnis ejus, *habitarit in ipso tota plenitudo divinitatis corporaliter*, Col. 2: 9. quamquam itaq; dicatur *evacuatio*, id nomen tamen non habet à donorum exoneratione vel depositione; sed primum quod eorum usu occultato & suspenso, ea fuit instar cujusdam evacuationis; & deinde quod ea fuit vera quædam evacuatio ac exoneratio, ad usurpationem ducta; juxta phrasin scripturæ, 1. Cor. 15: 58. 1. Theff. 2: 1.

Est igitur exinanitio nihil aliud nisi Majestatis & donorum divinorum, quoad plenarium & continuum actum usurpationis ac manifestationis, quædam libera spontaneæ, occultatio ac suspensio. Multa hic possunt adjici de Exinanitionis Actibus in se plurimis, nec non variantibus multum, respectu vel diversorum Christi officiorum, vel objectorum, effectorum & connotatorum aliorum; sed nobis temperamus, & cupidum lectorem ad *ἡμετέρας ὑποθέσεις* Thummit, *νεωτέρας ὑποθέσεις* Fearbornii, nec non ad Saxoniorum decisionem, super illa Admonitionem, ac necessariam Apologiam, &c. de industria ablegamus, id tantum repetentes, quod suspensio illa de divinorum donorum possessione, neutiquam est intelligenda;

genda; nam quod Christus dona divina in exinanitionis statu possederit, abunde affirmant, *vox celestis*, Matth. 3: 17. *transfiguratio*, Matth. 17: 2. conf. Joh. 1: 14. Luc. 1: 35. &c. nec non *miracula*, Act. 3: 12. &c. Manente igitur donorum divinorum possessione, est suspensio explicanda tantum de eorum usurpatione: nimirum *sicut aqua & flamma*, salvæ quæ actum primum in suis potentiis, actum secundum qui operationis est, providente Deo, suspenderunt, uti legitur Sap. 19: 19. seq. sic quæ suæ humanæ naturæ in tempore per unionem personalem sunt data, qua possessionem salva retinuit Christus, & tamen pro lubitu, exercitio ac usurpatione eorum tunc id exinanitione frequentius abstinuit: imo qua usum sic iis abstinuit, ut cæteris occultatis, retractis aut suspensis, ne ratio infirmitatis turbaretur, tantum usurparet ea, *quibus humana natura ad ardua officiorum è reg. 27. g. a. ut habilis & idonea efficeretur, indiguit*, conf. D. Chemn. de duab. N. in Christo c. 22. fol. m. 117. Similiter vult F. C. de persona Christi thes. 10. seq. exinanitionem describi, sicut ex opposita exaltatione patet: dum enim eam describit *per plenariam usurpationem, manifestationem & declarationem divina Majestatis*: vi oppositionis non potest non statuere, hanc exinanitionem fuisse illius *quandam non usurpationem seu suspensionem, & quandam non manifestationem seu occultationem*; id quod nos hæcenus diximus, adde Luth. in F. C. fol. 313. a.

III. *Cujus generis fuerunt illa dona?* Dona Christo collata fuerunt duplicis generis: *Vel finita, & habitualia*, de quibus Luc. 2: 52. *Vel infinita & essentialia*, Coloss. 2: 9. adde Matth. 28: 18. Ac primum dona habitualia, etsi habebat Christus Filius Mariæ perfectissima; tamen quandoq; occultato, quandoq; deposito eorum usu, nostras infirmitates omnes, excepto peccato, assumpsit: similiter etsi donis increatis ac divinis Christus gaudèbat; tamen eorum usurpationem

nem ac gloriosam Majestatem, in statu humiliationis continue non exeruit: *sed Angelus factus est inferior*, vers. 9: conf. F. Concord. p. m. 774.

IV. *Cur sic dona sua vel occultavit vel suspendit quoad usum?* Cum primis ut opus redemptionis patiendo & moriendo inciperet ac absolveret; propter nos enim salutemq; nostram descendit de cœlis, *per sanguinem ingressurus in sancta*, Heb. 9:12. Unde sicut propter conversationem nostram, quatenus *Propheta*, gloriosam suam Majestatem celavit: sic propter opus redemptionis perferendum, quatenus *Sacerdos*, ejusdem & donorum divinorum quorundam aliorum usurpatione, ad tempus libere se abdicavit. Et potentiam suam si saltem ostentasset, an mortem ei moliri creatura ausa fuisset; eandem vero si creaturæ opposuisset, an capi & mori potuisset? illius igitur usum & celavit & suspendit. conf. Thum: Exam. pag. 10.

V. *Quando cœpit Exinanitionis status?* Cœpit à conceptione & continuavit per ejus vitam, passiones ac mortem, quando Christus fuit *abjectissimus virorum*, Esa. 53: 2. seq. *vermis & opprobrium*, Pl. 22: 7. duravit vero idem ille status usq; dum Christus ex mortuis resurrexit, conf. F. Conc.

II. DE EXALTATIONE.

In S. Sacra usurpatur Exaltatio tribus modis de Christo. (1) *Pro passione & morte Ejus*, Gal. 3: 13. Joh. 8: 28. & 12: 32. (2) *Pro vera Exaltatione ad dexteram Dei*, post victoriam de hostibus spiritualibus, Act. 2: 33. Phil. 2: 9. & (3) *In quantum meritum Christi nunc omnibus patet*, sicut olim omnibus propositus fuit serpens æneus: est enim tanquam vexillum, Esa. 11: 10. conf. Chemn. lib. 2. Harm. Evangel. c. 28. Significatio media, ut patet ex membro opposito humiliationis, est hujus loci. Igitur

I. *Hec Exaltatio competit Christo, secundum eam naturam, secundum quam fuit exinanitus*: ita enim S. Sanctus infert: *bibet de torrente, propterea exaltabit caput*, Psal. 110: 7. *humiliavit se*

metipsum, propterea exaltavit eum Deus, Phil. 2: 7. 9. paulisper inferior factus Angelis, propterea coronatus est honore, &c. Scilicet postquam conditionem in terris tenuem Christus reliquit, jam conscendit gloriosam suam rationem; sicut olim victores cum cornibus suis splendidis, exaltabantur, 1. Sam. 2: 1. Psal. 75: 11. sic est Christus, post victoriam de suis hostibus, cum suo brachio exaltatus in gloriam.

II. *Quid infert Exaltatio Christi? Non infert hac Ejus exaltatio, vel moralem aliquam insolentiam, quomodo Sodoma & vicinæ dicuntur se exaltasse, Ezech. 16: 50. & quæ sic humiliabuntur, 1. Pet. 5: 5; Nec ponit physicam elevationem, quomodo aquila sublimem se effert, ut nidificet in altis, Job. 39: 30. (præscindimus enim nunc exaltationem ab ascensione, quæ 40. die à resurrectione, visibiliter contigit ab oliveti monte: & nobiscum similiter præscindit ac distinguit Scriptura Sacra, quæ quamvis hosce actus ceu vicinos, quandoq; conjungit, sicut fit, Act. 11: 32. seqq. Eph. 4: 10. 1. Pet. 3: 22. ab exaltatione tamen hac gloriosa, probe separat illam elevationem visibilem, Marc. 16: 19, Luc. 24: 51. Act. 1: 9. seqq.) Sed ipsa in se est potentia, gloria & Majestatis divinæ plenaria usurpatio, & Majestatica declaratio, Act. 2: 33.*

III. *Quando cœpit hac exaltatio? Communiter respondent nunc eruditi, quod cœpit die tertio à morte, sub vivificationem vel initium resurrectionis. Distingvunt hic inter vivificationem & resurrectionem, sicut quoq; scriptura ipsa distingvit inter ἐγείρω & ἐμψυχώω & ἐμψυχώω & ἐμψυχώω, Act. 10: 40. ita ut τὸ ἐγείρω sit illi idem, quod post θάνατον vivificari, 1. Pet. 3: 18. & ἐμψυχώω & ἐμψυχώω cum discipulis conversari, Act. 1: 2. seqq. Dicunt: ante vivificationem non potuit Christus descendere; quia tunc fuerunt ejus partes essentielles separate: post resurrectionem vero adparuit ille suis discipulis; sub vivificationem igitur vel initium resurrectionis, oportuit illum, qui non amplius subiacebat naturæ*

infirmioris legibus, in instanti descendisse ad inferos, *Christus descensu suo perfunctus est media nocte tum, cum ex mortuis esset resurrecturus, ut sol iustitia qui in cruce occiderat, cum sole firmamenti pleno jubare oriretur. Athanas. lib. de Virg. Christus fuit in inferno & devastavit, sicut veniens ad iudicium, cuiusq; actus examinabit in momento & ictu oculi, &c. Anselm. in Elucidario.* Neq; tamen moram temporis fingunt inter vivificationem & resurrectionem, sed hanc, sub cuius initium Christus descendit, metiuntur ratione actus, & absq; omni temporis tractu. Tu vero de his noli anxie disquirere, ac ut totum articulum de Christo adprehendis simpliciter, sic quoq; simpliciter præcis circumstantiis, descensam Christi crede, conf. F. C. 314. a. & 246. a.

Quod vero *descensus Christi ad inferos, pertineat ad statum gloriae seu exaltationis, videtur inde probari, quod Christus in illo descensu, (1) Spiritibus incarceratis realiter predicavit, 1. Pet. 3: (2) Quod potestates infernales expoliavit, Col. 2: 15. Et (3) quod de illis triumphans, victoriam cecinit, Hos. 13: 1. 1. Cor. 15: quæ omnia sicut gloriosa sunt & magnifica, sic conditionem status humilis excedunt; ac proinde ad statum exaltationis nunc vulgo, referuntur, conf. lib. Concord.*

Sed annon post resurrectionem, apud discipulos suos fuit Christus humilis? Fuit omnino; tu tamen cave, ne cum exaltatione commisceas promiscue humiliationem; *primum vero vides (1) Quomodo variat ratione objectorum, exaltatio Christi: fuit ille apud Dæmones & incarceratas animas exaltatus, qua Majestatis usurpationem, sed tamen illam suam gloriam, apud homines sub gratia viventes, adhuc suspendit. (2) Quomodo ratione officiorum Christi, Exaltatio similiter variat: cœperat illa gloria, respectu officii regii ac prophetici, quod constat, apud potestates infernales: sed tamen respectu officii prophetici nondum fuit illa apud nos plene inchoata, sicut docet 40. die-*

rum conversatio Ejus in terris. *Explicaturus* E. *κένωσιν* non indistincte ager, sed primum unicuiq; officio, deinde etiam cujusq; officii certis adhibus, tam negativis, quam positivis, distincte illam attemperabit, & sic demum inveniet, quantum in hac mortalitate datur, qua ratione exaltatio sit vel usurpatio, vel manifestatio & declaratio; sicut contra vi oppositionis, notato quomodo humiliatio similiter quoad objecta & officia variat, habebit qua ratione, illa sit occultatio, retractio, suspensio, &c. adde Menz. defens. & Thum. exam.

Deinde colligis quomodo similiter quavis Christi in miraculis vel transfiguratione illustratio, simili fundamento potest ad exaltationem referri: tunc enim non minus ac in descensu ad inferos, Majestatem suam Christus declaravit, licet modo minus glorioso, idq; non tantum ob inglorificatum corpus, sed cum primis quod nondum voluit gloriam suam plane manifestare. Sic inquam, ex fundamento scripturæ quantum ad rem, possumus dicere sub medium sui *Exinanitionem* & *Exaltationem* se mutuo distinguere, indeq; variare alterius terminum ad quem, & alterius à quo: nostamē debere exaltationis terminum à quo ibi ponere ubi adest factum, exaltationem uberius ac plenius commendans; ac quia in descensu ad inferos, id adest illustrius, quam ullum ante unquam est monstratum vel editum; rectius igitur exaltationem ab illo ceu termino, auspicamur, quam vel ab illustri aliquo miraculo, transfiguratione, vel etiam ipsa donorum in unione personali, divinorum communicatione, sicut contendūt nonnulli, vide Thum. cōtinuat: de M. Ch. p. 35. seq.

Juvat vero *consulere scripturam de exaltatione, non tantum quoad rem, sed & quoad phrasin*: & jam inveniemus quod illa non dicat Christi status se invicem distinxisse, sed præcessisse statum exinanitionis, & secutam esse exaltationem: nimirum Christum exaltatum esse, ubi officiorum omnium dispensatione in terris relicta, de monte oliveti sublimis factus, suæ Majestatis ac gloriæ plenissimam usurpationem intravit, Act. 2: 33, Phil. 2: 9. conf. Eph. 4: 9. seq.

IV. Neque tamen putandum gloriam, ad quam Christus exaltatus est, demum post passionem capisse: Equidem ut corpora nostra per resurrectionem glorificantur, 2. Cor. 3: 10. sic est etiam Christus per resurrectionem, nova gloria auctus, dum Corpus Ejus ex mortali factum est immortale, & ex animali spirituale, ut habet Aug. tract. 63. in Joh. quo modo quoq; F. Concord plura gloriæ principia agnoscit, quando scribit: *natura humana habet suam efficaciam &c. præcipue secundum Majestatem, gloriam, virtutem potentiam, quam per unionem hypostaticam, glorificationem & exaltationem accepit, Art. 8. de Chr. p. m. 774.* Sic inquam quanquam Christus per resurrectionem nova gloria sit auctus; non tamen gloria resurrectionis vel glorificationis corporalis h. l. intelligitur; sed gloria qua hic dicitur coronatus, fuit à principio conceptionis, per ac propter unionem personalem; unde dicit se habuisse eam, ante jacta fundamenta mundi, Joh. 17: 1. Esa. 55: 5.

V. Quamquam itaq; hac exaltatio seu coronatio, dum contingebat, esset quadam datio; non tamen fuit novorum donorum aliqua collatio; omnia quippe ante habuit, Joh. 5: 18. & 17: 7. 22. igitur ut nihil quicquam Ei potuit adjici ac conferri; sic solum data est ante possessorum, tam Majestatica perfruitio, qualem ipse nunc expeditis passionibus repetebat; quam eorundem solennis & gloriosa declaratio: & primo conceptionis momento habitavit in ipso πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, Col. 2: 9. idcirco in exaltatione ultra τὸ πᾶν πλήρωμα nihil omnino addi potuit, ex F. c. de perf. Chr. th. 10. seq. scribunt pulchre Saxoni in necessaria decisionis sua apologia, Sect. 3: c. 7.

III. PARS.

De incarnatione Filii Dei.

EXPLICATIO.

De utroq; Christi statu, Exinanitionis & Exaltationis, docuit Apostolus hactenus; nunc ad incarnationem Ejus revertitur, eam probando, ac per fructus suos commendando. I.

I. INCARNATIONEM PROBAT

(1) *Ex Unitate Sanguinis*, vers. II. Sicut Sacerdos leviticus sanctificans per sacrificia, fuit cum populo Israëlitico sanctificato, ex una communi natura, ex uno communi parente, remotiori Adamo, & propinquiori Jacobo patriarcha: ita est Christus Sacerdos N. T.^{ti}, una cum credentibus aliis, qui sanctificantur, non tantum ex Deo communi Patre, oriundus; sed quoq; in specie, quoad naturam humanam, ejusdem cum illis naturæ, ut suo sanguine illorum sanguinem posset expiare: atq; ita *primum sicut sine sanguinis effusione, nulla fiebat olim remissio peccatorum*, per typos procurata; sic est nostrorum peccatorum remissio facta per sanguinem Christi. Porro dicit Deus; *anima, quæ peccaverit, morietur*, Ezech. 18: 20. pro nobis itidem posuit Christus animam suam, nostram factam, per unitatem sanguinis: hinc sicut sanguis effusus dicitur venire super cœdis auctores, Matt. 23: 35. sic venit sanguis à nobis effusus, & quæ patravimus mala, super nos, consideratos specificè: Christus enim ejusdem nobiscum speciei, illa omnia suscepit, pertulit ac expiavit, *factus propitiatio pro peccatis nostris*, 1. Joh. 2: 2. conf. 1. Cor. 1: Ceterum nota quod *sanctificatio* non sumitur h. l. stricte, pro opere S. Sancti juxta tertium articulum in Symb. Apost. sed late pro ejus causa, nimirum filii redemptione, sicut fit, Heb. 9: 13.

(2) *Probat Incarnationem ex Unitate Nominis Fraternalis, vel Filialis* vers. 12. Hoc argumentum sequitur ex priori; igitur ut ex massa humana, nostram naturam Christus induit: sic quoq; *primum nos fratrum suorum honorifico titulo dignatur*, vide Psal. 22: 23. Esa. 8: 18. Sed hic nota ad Psalm. 22: (α) Quod Christus hunc Psalmum sibi in cruce adplicuit, Matth. 27: 46. conf. Joh. 19: 24. id certo documento est, hunc psalmum de Messia esse intelligendum. (β) Nota, quod prædicatio ista sit facta *tam immediate à Christo*, dum post resurrectionem

adparens, discipulos fratres salutavit, Matt. 28: 10. Joh. 20: 17. *quam mediate per Apostolos, qui fraternitatem sapius nobis commendarunt. Deinde est Christus similiter nobiscum Filius Dei.* probat id Apostolus, dum vers. 13. & citatis locis, communitatem naturæ inferens, ostendit quod Christus qua verus homo, ut omnis alius Filius, in Deum ponat fiduciam; quod non habuisset opus, nec fecisset, si necessitatibus humanis in diebus carnis obnoxius, in Deum non fuisset confisus. *Credentes ergo habet Christus fratres, quæ sanguinem naturales, & qua fidem, spirituales: & ipse instar Filii, sicut nos in Deum ponit fiduciam, conf. Psal. 22: 1. seq. h. e. sicut nos omnibus fidelibus communia, facimus nobis pecuniaria, ut loquitur Chrysoft. super Gal. 2: 20. & exemplo circa adplicationem, nobis præit Paulus, 2. Tim. 1: 12. sic tanto magis singulari, quanto diviniore ratione, Deum Christus homo sibi adpropriat patrem. Vers. 14. uberius hoc argumentum persequitur, traditq; quod quemadmodum Filii credentes habent carnem & sanguinem; sic quoq; de carne & sanguine participat Christus, Heb. 2: 17. & per consequens est verus homo. Ex eo autem quod scribat: *participat Christus similiter nobiscum: (1) Vide quod discrepantiam aliquam inferat inter Christum & nos, nimirum respectu conceptionis Ejus miraculosa, hypostaseos divina, & defectus peccati. (2) Collige in cæteris convenientiam, non tantum quoad substantialia, animam & corpus; sed & quoad substantialium consequentia, qualia fuerunt infirmitates & accidentia alia, quæ in Eum quadrabant, Heb. 4: 15.**

Vers. 16. Amplificat & commendat uberius *hac argumenta, ex unitate sanguinis & nominis, desumpta; commendationemq; urget per comparisonem cum sorte angelica institutam. Ubi (1) cum vehementia negat, quod non Angelorum semen i. e. naturam, assumpsit: non igitur participant illi de mediatore nostro: sed qui defecere, vivunt sine spe salutis*

2. Pet. 2: 4. Matt. 25: 41. (2) *Docet quod Abrahæ i. e. posteritatis
Ejus, semen adsumpsit, & quod sic implevit promissionem: in
semine tuo, &c. Gen. 22: 18. Gal. 3: 16. Sed hic duo expende:*

(a) *Quid semen h. l. significat?* Semen dicitur in scripturis, multis modis: 1. *Collective*, ut semen Abrahæ, pro Israëlitis, Gen. 12: 4. & Judæi dicuntur Semen Sanctum, Efd. 9: 2: quod de sanctis Patriarchis essent oriundi. 2. *Metonymice*, pro eo, quod natum est ex semine, ut Semen Sinapis, Matt. 13: 32. Semen Mulieris, Gen. 3: 15. 3. *Per duplicatam Metonymiam*, dum Semen Abrahæ, ponitur pro natura humana: adeoq; dum Christus dicitur assumpsisse Semen Abrahæ, significatur Eum esse Mariæ Filium, quæ fuit de Abrahamo oriunda; Quod h. l. refert Apostolus, tam ut honoret Patriarcham, quam ut Judæis revocet in memoriam promissionem ipsis factam: extollit ergo Judæos generis splendorem indigitando; nec tamen lædit ex gentibus procreatos, qui Christum alibi, quam ex se, natum esse, jure indignari non poterunt, conf. Chrysoft. h. l.

(B) *Quid significat h. l. verbum adsumere?* Significat quod Christus, (1) *Aversum Abrahæ semen*, ac instar feræ fugiens, vi adprehendit, & invitum occupavit. (2) *Significat, quod Christus idem assumpsit, ut id benigne curaret*, sicut David in talem finem adsumpsit Mephiboseth. 2. Sam. 9: 5. & (3) *Ut de adprehenso participaret*, non solum effective, sicut de sanctis participat, 1. Cor. 3: 16. Eph. 3: 17. sed substantialiter, qua communionem carnis & sanguinis. Atq; sic quanquam id semen non adsumpsit sibi in ducem, sicut dicitur jud. 11: 5. adsumpsit tamen id secum in militiam: imo, ut eo commilitone, vel in eo, pro nobis hostes nostros spirituales destrueret.

II. INCARNATIONIS DOMINICÆ FRUCTUS RECENSET:

horum erat

I. Vers. 14: *Ut Diaboli imperium aboleret.* Robur ac stipendium

dium mortis in genus humanum, est peccatum, Rom. 6: 23. & per peccatum, ceu minister Dei & carnifex, sævit quoq; in nos diabolus. dicitur vero hic *eatenus habere mortis imperium, quatenus auctor est peccati*, quod mortem inducit; & *quatenus ipse per mortem in nos grassatur*. alias extra hos respectus, non habet ille mortis imperium, sed Deus id tenet Job. 34: 20. Ps. 68: 21. Sed attende, quod Christus non tantum Sathanæ vires attrivit, sed regnum quoq; Ejus, qua credentes, destruxit. Igitur traductis illis in regnum Christi, respectu eorum, non amplius habet diabolus, quibus superbe insultabit ac dominabitur: per passiones enim suas debilitavit Christus diabolus, & in extremo judicio conficiet eum amplius: conf. 1. Cor. 15: 25. Apoc. 21: 24.

II. Vers. 15. *Ut à metu mortis nos redderet liberos*. Duplex est contemnenda mortis ratio; *Naturalis* & *Revelata*. Gentiles, qui animæ immortalitatem, ob independentem ejus à corpore rationem, potuerunt videre, mortem oppetere non detrectarunt: *haeret enim in eorum mentibus, mortem non interitum esse, tollentem atq; delentem; sed quandam quasi migrationem, commutationemq; vitæ, qua in claris viris & sœminis, dux in cælum solet esse;* scribit Cic. lib. 1. Tusc. *quæst. conf. Senec. Epist. 36. & 102.* sed hæc *naturalis ratio* imaginaria est, & illi miseri tandem experiuntur, sine Christo (de quo, aut nihil, aut parum, audiverunt) non esse salutem: solidior & certior ad spernendam vim mortis, est nobis Christianis nostra *revelata ratio*. Audientes quod Christus damnationem sustulit, & mortis vim abolevit, jam mortis metu non amplius confundimur. tantum igitur abest, ut mortem metuamus, ut contra, *cum Paulo cupiamus dissolvi, & esse cum Christo*, Phil. 1: 23. conf. Luc. 2: 29. sit itaq; τὸ τῶ Ἰθάκῃ, δεινὸν ἤγὼ Φερσέον, ut Origeni respondet Senex ille Mendicis, apud Lucian. tom. 3. p. m. 65. & sit mors acerbissima, 1. Sam. 15: 32. Eccl. 7: 26. quo nomine naturaliter cum Eze-

chia etjam possumus illam deprecari, 2. Reg. 20:3. Renati tamen ac sancti, *liberati è manu inimicorum, serviunt Deo sine metu*, Luc. 1:74. imo, ad abolendas peccati reliquias mortem quoq; sibi imprecantur, Rom 7:24. conf. Gen. 46:30.

III. Vers. 17. *Ut peccata nostra expiaret.* Sacerdotes Levitici condolebant populo, & quo majore commiserationis affectu flagrabant; tanto enixius sacra pro populo faciebant: similiter sensit Christus in carne infirmitates nostras, misericordia igitur sanguinis motus, fidelissime pro nobis sacra fecit, dum pro nobis in ara crucis, factus est *sacrificium propitiatorium*, 1. Joh. 2:2.

IV. Vers. 18. *Ut nobis in periculis succurreret.* Suscepit Christus nostras infirmitates, non tantum ad assumptæ humanæ naturæ veritatem demonstrandam, sed cum primis ut commiserationem suam erga nos declararet; sic itaq; ille commiseratione nostri tangitur, sicut est nobis per omnia, etjam in ærumnis & infirmitatibus, factus similis: adeoq; quemadmodum tentamur nos variis modis, cruce, paupertate, inedia, pollicitationibus Sathanæ; similiter ut crederemus eum miserescere nostri in malis; submitit se casibus humanis, *esurivit, sitiit, cum paupertate conflictatus est, & Sathana insultus sustinuit*: unde *primum* de commiserationis affectu non debemus nec possumus dubitare. *Deinde* ut calamitates nostras ille sensit, pro nobis tentatus: sic est tanto pronior ad succurrendum nobis in nostris malis: nimirum inclinatur ad nos sanguis Ejus; & ut adcurrat citius, facit malorum sensus.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 13. *Annon dictum Esaj. 8. literaliter est intelligendum de Esaja, & liberis vel discipulis Ejus: typice autem ad Christum accommodandum?* R. (1) Versus 2. 14. & 15. apud Prophetam, manifeste ostendunt de Christo hunc locum esse intelligendum, quare (2) Sequens caput 9. ex professo de Eo agit. (3) Ad Christum etjam accommodantur hæc verba Psal. 22:23. Ex quibus omnibus planum

est, non vanam esse hanc Apostoli allegationem. (4) Quoad adplicationem sufficit quoq; psalmus 22: si vel maxime hoc dictum Esajæ non extaret: conjuncta vero hæc duo loca adplicationem, ut fit, solidus firmant. Alias (5) Non nos damnamus illos, qui dicunt Esajam typum Christi fuisse, & quæ Esajæ acciderunt, adumbrasse ea, quæ Christo omnium prophetarum capiti, essent eventura: ut itaq; constat captivitatem Babylonicam, figuram fuisse captivitatis spiritualis, & liberationem ex captivitate babylonica, typum fuisse liberationis spiritualis ex potestate Sathanæ: sic h. l. non temere omnino dici potest: sicut liberationem populi propter eorum incredulitatem fere frustra prædicavit Esajas; sic liberationem spiritualem fere frustra annuntiavit Christus, Joh. 6: 66.

II. Vers. 14. *An hæc verba agant de passionibus & afflictionibus fidelium violentis: seu, annon Christus respectu mortis sue violentæ conditionibus fidelium hic assimiletur?* R. Ita volunt Photiniani: nos vero (1) concedimus carnis & sanguinis nomine venire naturam humanam, prout miseris est obnoxia ac implicita, non autem ipsam infirmitatem & miseriam; quia posteriori huic expositioni reclamant verba: vers. 6. *gustare mortem*; vers. 9. *participare de carne & sanguine*; vers. 11. *esse frater*; per quæ omnia non intelliguntur solæ infirmitates, sed humanæ naturæ substantia. (2) Negamus illam comparationem Photinianam, quia α . communicare carni, non est afflictionibus subijci. β . quia h. l. scopus est, non suppositi qualitatem describere, sed naturæ veritatem. γ . quia græcum *κοινων* nusquam significat se subijcere, sed certo modo uniri ac communicare. Inst. *Si hinc arguitur dignitas Christi, erunt etiam nostri pueri digni, qui similiter communicant.* R. Pueri nostri communicant de carne & sanguine, ut existant: ast Christus communicavit, ut taliter existeret; nempe ut qui ante fuit *Deus benedictus in secula*, Rom. 9: 5. per carnem ex semine Abrahæ, fieret quoque verus homo. Inst. *An participare idem quod incarnari & hypostatice uniri.* R. Sic Filius Dei de carne participavit, ut *manifestaretur in carne*, 1. Tim. 3: 16. *ut habitaret in carne corporaliter*, Col 2: & *ut fieret caro*, Joh. 1: 14. E. carnem sibi hypostatice univit.

III. Vers. 14. *Quomodo Christus per mortem suam destruxit diabolum & mortem, cum demum in consummatione seculi, horum destru-*

Uto fiet? R. Vi meriti Christi est destructio illa hic inchoata; fuit enim mors Christi nostri à diabolo liberatrix: consummabitur vero illa destructio in die extremi iudicii, Apoc. 20: 14.

IV. Vers. 14. *Quomodo habet Diabolus mortis imperium, cum Christus Ejus claves teneat?* Apoc. 1: 18. R. Christus jure habet imperium, quia ille solus dominatur viventibus & mortuis, Rom. 14: 9. diabolus vero id tenet, ut divinæ justitiæ executor, admissus per ac propter peccatum, Sap. 2: 24.

V. Vers. 15. *Quomodo sumus liberati à morte, cum moriamur?* R. (1) Liberati sumus à mortis terrore, per promissiones Evangelicas, quæ fidem faciunt, quod resuscitabimur ad vitam æternam. (2) Sumus liberati à morte, non ut eam non subeamus vel sentiamus; sed quod in ea non maneamus: est enim ea piis instar portæ, per quam transeunt ad gaudia cœlestia. (3) Liberavit Christus nos à morte, non tantum æterna, sed quoq; hæc temporali, quatenus illam aliquando penitus abolebit: enunciariq; potest hæc futura mortis temporalis destructio, ita in præterito; *quod beneficia Christi non tantum ad hanc, sed etiam futuram vitam, pertineant.*

VI. Vers. 16. *Ἐπιλαμβάνουσα non significat in se suscipere, sed solum assumere?* R. Est ita in ratione simplici, vide Act. 21: 30. Sed h. l. non item, propter substratam materiam; unde vi scripturæ, Joh. 1: 14. 1. Tim. 3: 16. &c. h. l. significat in unitatem personæ assumere. *Inst. intelligitur assumptio fidelium in cælos:* R. aliter docet contextus. *Inst. Eam arguit verbum presens (assumit) de natura Christi humana, debuisset Apostolus dicere in præterito, assumpsit, &c.* R. (1) Est Enallage temporis. (2) Ut intelligatur unionem nunquam solvi, loquitur in præsentem *assumpsit*, quasi in æternum fieret & continuaret illa adsumptio. *Inst. Assumere significat h. l. curam agere.* R. (1) Quo dicto scripturæ? (2) *Quomodo tunc potest caro opponi Angelis, annon etiam illorum Christus agit curam,* Col. 1: 16.

VII. Vers. 17. *Si Christus est per omnia nobis similis factus, utiq; & humanam hypostasim habet?* R. Est nobis factus similis quoad naturam, non vero quoad hypostasim, naturæ ultimam modificationem.

VIII. Vers. 17. *An per omnia h. l. intelligantur substantialia?* R. Vers. 14. egit Apost. de substantialibus; sed hic agit de similitudi-

ne, pertinente ad *statum humiliationis*; restringenda igitur sunt illa omnia, (1) ad tentationes, ut constat ex vers. 18. conf. inf. cap. 4: 15. (2) ad peculiare nostras infirmitates specificas, conf. F. C. 304. b. *Inst. Si nobis similis Sc. jam non fuit omnipræsens quoad carnem.*

R. Sumitur *omnipræsencia* 1. *Extra scripturæ phrasin* (1) *Pro immensitate*, (2) *Pro indistantia* ex immensitate fluente, quatenus Deus ex immensitate suæ essentiae necessario & simpliciter adest indistanter omnibus creaturis, & non potest non adesse. (3) *Pro vi & potentia divina adessendi*. 11. *juxta scripturam vero sumitur, prout includit adessentiam & operationem simul*, non quod operatio sit de præsentia essentia; differunt enim totis prædicamentis, & in præcisione etiam accidentaliter copulantur: sed quod in scripturis nulla inveniatur præsentia, quæ non sit modificata, quæq; præter adessentiam simul operationem complectatur conjunctim, *vide Menz. resp. ad Tubing. de 8. Oct. 1619. & Saxon. in Apol. decis. sect. 3. c. 2. p. 256. Adpl.* Quod Christus *primo modo* in diebus carnis, secundum humanam naturam non fuit omnipræsens, res est nota: pugnant enim esse circumscriptum & esse immensum, & porro infert omnipræsencia relationem ad creaturas, quam non indigitat immensitas. *Secundo modo & tertio* potest Christus homo tunc dici fuisse omnipræsens, quatenus λόγος immenso erat unitus. & dicunt quoq; scriptores Ecclesiastici Eum omnipræsentem fuisse; *illo modo quoad actum hypostaticum*, & hoc quoad *actum primum*; sed ita præter scripturam qua phrasin, & tantum juxta cogitationes nostras. *Quarto autem modo*, qui solus scripturæ est, non fuit Christus tunc omnipræsens qua carnem: nam quanquam λόγος ut modo dictum, semper & ubiq; habuit carnem sibi præsentem; eam tamen tunc, quod constat, non adhibebat gubernandis omnibus creaturis: hinc demum *post ascensionem credimus Christum regnare & dominari omnibus creaturis*, Aug. Conf. art. 3. conf. F. C. Dabatur itaq; ante tantum præsentia *intima* inter λόγόν & carnem; de qua ex Luth. F. C. *Wo du mir &c.* sed non *extima & operosa*, de qua expresse scriptura. minus igitur recte ab illa concluderis ad hanc, quod differant ambæ toto genere: fundamentum enim illius adæquatum sicut fuit unio personalis: sic hujus fundamentum adæquatum & immediatum, fuit libera Majestatis usurpatio; nec ad unionem, nisi tantum mediate.

diate & ratione primæ originis seu possessionis, potest hæc reduci.

IX. Vers. 17. *An fuit Christus Sacerdos in terris, cum per omnia sit nobis assimilatus, ut tandem fieret Sacerdos?* R. (1) Apost. h. l. non agit de tempore suscepti pontificatus, sed quodam Eius sine, nimirum functione fideli apud Deum. Igitur (2) verbum *γινώσκαι* hic vertendum est per *esse*, non *fieri*: quandoquidem Christus jam tum in terris fuit & misericors, & pontifex fidelis, Heb. 5: 2.

X. Vers. 17. *An is per omnia nobis similis, qui natus est à virgine, & conceptus à S. Sancto?* R. (1) Ut de principiis substantialibus constitutivis materia & forma, h. l. non agit Apostolus: sic tanto minus agit de principiis existendi productivis. (2) Quanquam itaq; aliquid ab aliquo variet, quoad causas & modum existendi, sicut variarunt Adam & Eva: potest tamen nihilo secius cum altero illo, qualitates communes habere. sicut etiam Christus, qui alium, quam nos, conceptionis & nativitatis modum habuit, quoad existentiam; in lucem prognatus tempore suæ humiliationis, est nobis quoad infirmitates, similis factus. *Inst. E. sic passus est phrenesin, laboravit febrî, &c.* R. Non est passus infirmitates personales, ex unius aut alterius pravo temperamento, vitio, &c. pullulantes; sed específicas & nobis nunc omnibus communes, hinc Esurivit, Matt. 4: 2. sitiit, Joh. 4: 6. seq. *conf. Synopsis D. D. Enevald. Spenonii, pag. 85.*

OBSERVATIONES.

De Incarnatione Filii Dei.

Filius Dei de carne & sanguine nostro participavit: est igitur ejusdem nobiscum naturæ, & verus homo. atq; hoc *magnum est mysterium*, 1. Tim. 3: 16. *& angelis quoq; mirabile*, 1. Pet. 1: 12. *admirabilis enim ista mixtura*, uti loquitur Bernhardus, *quæ tam diversa ab invicem, Deum & hominem, Dei sublimitatem, & hominis vilitatem, Dei Majestatem & hominis infirmitatem, &c. conjunxit; non potest non nos Angelosq; stupore percellere: quin & apud Deum ipsum, prorsus singularis fuit ac inusitata: magnum quid & excelsum operari, in Deo non miraculum, sed naturæ Eius consentaneum est; at in humilem & abjectum statum descendere, qui omnium supremus est, hoc omnem admiratio-*

*nem superat, ait Greg: Nyss. in dial. Cateh. 24. & Deum hoc faci-
ciendo seipsum vicisse, scribit Aug. serm. 22. de temp. Nobis vero
incarnatio Christi, ut est summo honori; sic in omnibus
angustiis, erit maximo solatio, Rom. 8: 17. Sed lubet occa-
sione præsentis textus, videre*

I. Quid Sit Filii Dei Incarnatio? Est illa

(1) Vers. 14. *Communicatio.* Filius quippe Dei se & omnia
sua adsumptæ carni ita communicavit, ut ea illis nunc per
gratiam unionis gaudeat, habeatq; eadem sibi sic commu-
nicata, quemadmodum ipsi Filio Dei per naturam, omnia
sunt propria. Non igitur hæc communicatio, vel nudam
ponit beneficentiam, sicut fit Act. 2: 42. Rom. 12: 13. nec con-
sistit in conversatione mansueta & leni, quoad facilem con-
victum, sæcus quam communicant divites, 1. Tim. 6: 18. sed
rationem ponit multo superiorem ac digniorem: evexit e-
nim natura divina naturam humanam in sui hypostasin, il-
liq; communicavit sua omnia, quoad *possessionem, usum ac de-
nominationem*; atq; sic habet Christus Filius Mariæ per gratiam
unionis, quæ ab æterno, natura possidet λόγ@, conf. Luc. 2:
52. Joh. 8: 58. Act. 20: 28. & *Deus λόγ@, unitus homini, edit pro-
digia, non separata à natura assumpta, sed placuit ei in ea, cum ea,
& per eam, divinam suam potentiam exercere, ait Atha. dial. 5. cont.
Apollinar.*

(2) Vers. 14. *Est illa quadam participatio: λόγ@ incarnatus non tantum humanam naturam adsumpsit; sed & de as-
sumptæ illius proprietatibus, revera participavit, propter
utriusq; naturæ unam & communem divinam hypostasin.
Fidem captumq; humanum superat, Deum demisisse se in
naturæ humanæ commercium, eamq; divinis dotibus reple-
visse, Col. 2: 9. aut participare eum de ejus conditionibus,
quis audet dicere, qui saltem meminere, iudice ratione,
infra ejus dignitatem esse, vel humanis immisceri: sed adest*

hic Deus in opere & verbo mirabilis, Esa. 9: igitur quamquam nihil ab assumpta carne potuit accipere divinitas; revelat tamen nobis in verbo, quod de Ejus sorte participavit persona Christus: atq; ideo propter unitatem hypostaseos, dicit scriptura: *Deus est passus in carne*, 1. Pet. 4: 1. *Dominus gloria est crucifixus*, 1. Cor. 2: 8.

(3) Vers. 16. *Est illa assumptio quadam, & quidem ita firma & tenax, ne naturæ (assumens & assumpta) à se unquam in æternum divellantur: est enim unio illa facta ἀρχαίως, ἀσυκρίτως, ἀδιεσάρως ἢ ἀδιεσπέρως*, sicut scite ad modos hujus unionis indigitandos, in dialogis suis scribit Theodoretus, conf. Concil. Calcedonense.

II. Quid Filius Dei Per Incarnationem Adsumpserit?

Adsumpsit ille semen Abrahæ, i. e. de posteritate Abrahami, ut recenset Matth. cap. 1. & ex illo semine adsumpsit ille tam corpus, sicut hic multis loquitur Apostolus, quam animam, ut constat ex Matt. 20: 28. conf. Joh. 10: 11. atq; sic venit in mundum ille diu desideratus, qui per Mariam de semine Abrahæ, Gen. 12: 4. *Isaaci*, Gen. 26: 4. *Iacobi*, Gen. 28: 14. conf. Gal. 3: 16. *Davidis*, 2. Sam. 7: 12. &c. induit naturam humanam; processitq; semen benedictum, constans nostris partibus essentialibus & integrantibus, i. e. homo per omnia nunc nobis similis. Quanquam itaq; tantum scribatur, *verbum caro factum est*; Joh. 1: non tamen excluditur anima, quia verbum similiter est anima factum, ergo juxta morem scripturæ, ibi à parte denominatur totum, sicut fit Act. 7: 14. Gal. 1: 16.

III. Quis Sit Assumptionis Hujus Modus?

(1) Vers. 14. 17. *Est hic plane mirabilis & imperscrutabilis*, quare possumus magis dicere, quomodo non sit factus: quam quomodo sit factus. Scilicet novimus quod Christus non adsumpsit semen physico modo, *per coactionem, mixtionem,*

contactum, adfistentiam, &c. sed ut hic loquitur Apostolus, per *consimilem fere nobiscum carnis & sanguinis induitionem.* (2) *Verf. 14. 17.* Ponit idem *imperscrutabilis modus arctissimam unionem.* Participant credentes de *natura divina,* 2. Pet. 1: 4. *& de Christo,* Heb. 3: 14. nimirum per fidem gratiofa inhabitatione eos intrat Deus, Eph. 3: 17. estq; hæc unio satis arcta: sed tamen quia longe arctior est hæc unio personalis, ideo eam per carnis & sanguinis vinculum naturale, voluit Apost. hic explicare; quod sicut pueri carnem, sanguinemq; in utero materno adsumunt; sic in utero b. virginis, adsumpsit Christus carnem & sanguinem humanum, Luc. 1: 30. Matth. 1: 22. & ideo vocatur *Immanuel,* i. e. nobiscum Deus, Esa. 7: 8.

CAP. III.

DESCRIPIT Apost. hætenus personam Christi, eamq; explicuit & quoad diversas suas naturas, & quoad subsecutam ex unione illarum naturarū, Majestatis communicationem. Nunc progreditur ad officium Christi amplius describendum, & quidem in hoc capite introducit eum ut Prophetam & doctorem Mose multo superiorem: cujus proinde doctrinam Hebræis jure meritoq; hic commendat & imperat.

Partes dua sunt. I. Continet prærogativam Christi præ Mose & Prophetis aliis, ad vers. 7. II. Exhortatur ad obedientiam Christo seu optimo Doctori, præstandam, ad capitis finem.

I. PARS.

De prærogativa Christi præ Mose.

EXPLICATIO.

Certis hic utitur Apostolus documentis in prærogativa Christi tradenda; sed quia judæi præjudiciis occupati, eorum non erant capaces, itaq; antequam illa documenta proponeret, visum ei fuit non inconueniens esse, ad benevolentiam eorum captandam, pauca præmittere. & *quærit benevolentiam*

lentiam per honorificos aliquos titulos, quibus & ipsos, & Christum recte insignit.

I. Hebraeos adpellat (1) Fratres, tam ratione fraternitatis spiritualis in doctrina & religione, quod omnes qua vocationem ac fidem, essent Abrahamæ liberi, Gal. 3:7. Rom. 4:16. quam propter carnalem sanguinis propinquitatem, Rom. 9:3. omnes enim sanguinem ducebant de Abrahamo, Joh. 8:30. (2) Sanctos adpellat eos, ratione vocationis sanctæ, qua Deus eos per evangelium dignatus fuerat, 2. Tim. 1:9. aut quod à sanctis parentibus ac majoribus essent oriundi, Esd. 9:2. aut deniq; quod quidam eorum per fidem essent sancti, à quibus per ἀγαπῶντων reliqui denominabantur sancti. (3) Participes gloriae cælestis adpellat eos, & respicit cum primis eorum vocationem, quod cum aliis sanctis essent vocati ad æternam hæreditatem, Phil. 3:14. atq; sic à cælesti auctore invitati, ad quærenda cælestia & quæ sursum sunt, Col. 3:2.

II. Christum nominat (1) Apostolum. Apostolus significat primum generaliter quendam missum, quomodo Apostoli dicuntur, qui missi erant ad colligendam eleemosynam, 2. Cor. 8:23. & Philippensum Apostolus fuit Epaphroditus, Phil. 2:25. similiter erat Christus Apostolus seu missus, prout ipse fatur, Matt. 15:24. Joh. 20:21. Deinde sicut veri & specialiter dicti Apostoli, viam salutis docebant; sic etiam tradidit Christus pauperibus Evangelium, 2. Cor. 5:19:1. Esa. 61:1. (2) Nominat Christum Pontificem: vel respectu affectus, quod instar pontificis angeretur sensu infirmitatum nostrarum, Heb. 2:15. vel respectu passionis, quod in ara crucis se ipsum pro nobis offerret in sacrificium; vel deniq; respectu fidelitatis, quod esset pontifex fidus, Heb. 2:17. Huic Christo dat Paulus nostram confessionem, non fucata, Tit. 1:16. sed sinceram, Joh. 1:20. Act. 23:8. ac vult ut aperte & libere eum agnoscamus & deprædicemus, Luc. 12:8. quod fides à nobis exigit officium & cor.

de lingua, Aug. de Fide & Symb. c. 1. & quod confiteri nolle, sit negare, Tertul. de Fuga in perfec.

Talem sinceram & præclaram confessionem dat Apostolus Christo, respectu utriusq; ejus officii, Prophetici & Sacerdotalis: nam quamquam officium ejus propheticum, quod vel ipse personaliter obivit, Rom. 15: 8. vel per Apostolos & eorum successores administrari curavit, professionem nostram cum primis respiciat ac urgeat; nihilominus tamen extendit se hæc nostra confessio etjam ad officium Ejus sacerdotale. quandoquidem illius utrumq; actum, tam intercessorium, quam expiatorium, pie recipimus, credimus ac confitemur: nulla enim re magis gloriamur, quam Jesu Christo pro nobis crucifixo, & hanc solam scientiam profitemur, hanc etjam aliis docendo communicare studemus, 1. Cor. 1: 23.

His ad aucupandam gratiam præmissis, *conferre incipit Christum cum Mose*, quem illi in ore nunquam non habebant, ac præ omnibus aliis prophetis, fere unice suspiciebant. In hac comparatione

I. Convenientiam inter utrumq; explicat, vers. 2. Consistere eam ostendit, partim in vocatione, partim in officii administratione.

(1) *Respectu vocationis* dicit quod neuter sibi ipse hunc honorem rapuit; sed quod uterq; vocationem Dei recte expectavit; sicut etjam fecerunt alii sancti, utpote Jeremias, Jer. 17: 16. Baptista, Luc. 3: 2. quare sicut à Deo vocatus fuit Moses ad docendum; sic est Christus à Deo datus ecclesiæ doctor, Luc. 12: 13. est enim *Christus à Deo nobis factus sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio*, 1. Cor. 1: 30. conf. Act. 2: 36. (2) *Respectu Officii utrumq; fidelitatis nomine commendat.* In officio fuit Moses fidelis, tam ubi legem promulgabat, quam cum Evangelium, pro temporis illius ratione, vel verbis, vel typis doceret: *laboravit enim fideliter in domo Dei*, Num. 12: 7. Heb. 3: 5. Similiter *fidelis fuit Christus. quoad officium propheticum,*

ticum, quatenus vel extraordinarie dedit præludium sui ministerii, Luc. 2: 17. vel solemniter voce cœlesti inauguratus, docuit cum potestate, Matt. 7: 29. *Quoad officium sacerdotale* per totam vitam satisfaciens, & postea intercedens, Joh. 17: *Quoad officium regium*, eo sic fungens, sicut muneris sacerdotalis humiliter obeundi, ratio ferebat: retraxit enim officium suum regium, ne sacerdotale impediretur, 1. Cor. 2: 8. & tamen illud sic usurpavit, ut aliquoties, præsertim in miraculis, se regem esse, non obscuris indiciis proderet. Sic inquam, egit Christus, & in omnibus fuit Patri fidelis, quare quoq; ejus mandatum est secutus, Joh. 12: 49. ejus gloriam quæsit, Joh. 8: 49. Quocirca sicut fidelitatis elogio ornatur Moses, Num. 12: sic est etiam Christus ille *fidelis testis*, Apoc. 1: 5.

II. *Præminentiam Christi præ Mose ostendit triplicem.*

(1) Vers. 3. *Ratione architectura Christum Mose præponit.* Uterq; in domo Dei interpretabatur voluntatem divinam: sed tamen fuit Moses illius domus pars, ubi Christus est illius opifex ac architectus. recte ergo dixeris: sicut opifex nobilior est opere; sic præstat Christus Mose suo operi. Vides quoq; quomodo tacite per hoc argumentum, *divinitas Christi* innuitur. *primum* enim Apostolus Ecclesiæ caput ac Dominum eum constituit, Eph. 1: 10. & *deinde* per metaphoram à materialis domus structura desumptam, opus creationis ei adscribit, conf. Psal. 104: 3. quæ duo non possunt non divinitatem Christi arguere.

(2) Vers. 5. *Ratione juris super Ecclesiam, Christum Mose præponit.* Moses fuit in ecclesia ut famulus, vel ut servus, Num. 12: 7. *factus in testimonium eorum, quæ erant dicenda.* Per dicenda intelligit evangelica, sicut mox dicetur: in horum testimonium erat Moses factus, quatenus vel auctoritative fidem dicendis moraliter conciliavit: vel quatenus sibi proposita
apud

apud populum Israël est testatus; & sic etiam olim de Evangelicis est concionatus, Deut. 18: 18. Joh. 5: 46 Rom. 10: 4. *Christus vero versabatur in Ecclesia ut Filius*, vers. 6. Ergo sicut Filius præstat famulo ac servo; sic Moysi qui servus est, præstat Filius Christus. atq; hæctenus fuit ipsum argumentum simpliciter propositum, ut autem ejus vim rectius assequaris, attende quomodo in hoc uno argumêto, Apostolus Christum Moysi tripliciter præponit. 1. Moyses est in domo; sed Christus supra domum, Heb. 10: 21. 2. Moyses est in domo ejus i. e. Dei; sed Christus est in domo sua. 3. Moyses est minister; Christus autem Filius ac hæres: Ex quibus omnibus respectu juris inhabitandæ ecclesiæ, prærogativa Christi præ Mose, clara notatur.

(3) Vers. 5. *Ratione doctrina Christum Moysi præponit.* De dicendis i. e. futuris Christi beneficiis, prædicavit & testatus est Moyses; partim per claras promissiones, Deut. 18: 18. partim per sacrificia, aliasq; figuras leviticæ: Christus vero non docuit de futuris, sed beneficia olim per Moysen promissa ac adumbrata, ipso actu paravit, & nobis in suo verbo obtulit ac exhibuit. *Quæris vero quomodo beneficia Christi respectu Moysi potuerunt in futuro dicenda nominari, postquam ille & claris verbis & multis typis eadem proposuerat?* R. Proprie pertinent beneficia Christi ad N. T. ubicunq; sunt proposita: Vetus autem T. tum dum illa insinuat, agit de illis tamquam rebus, eminens constitutis ac futuris: atq; sic dum in redemptionis actibus describendis V. T. utitur prædictionibus, Luc. 24: & typis ac figuris, Heb. 10: 1. jam N. T. eventum prædictiones sistit, & rerum præsentia umbras discutit; qua ratione sunt jam demum præsentia ac dicta, quæ olim tempore Moysi fuere futura ac dicenda.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 1. *An Christus tantum populi Judaici fuit Apostolus,*
juxta

juxta dicta, Matt. 15: 24. Rom. 15: 8. & quemadmodum nonnulli b. l. ejus apostolatam coarctant. R. Distingv. inter statum Christi humiliationis & exaltationis. Inter prædicationem immediatam & mediatam, ac inter functionem ordinariam & extraordinariam. In statu humiliationis quamquam Christus ipse fuit ordinarius Apostolus gentis judaicæ, Rom. 15: 8. ac quoq; tunc ordinarie ac mediate per Apostolos illam gentem tantum informavit, Matt. 10: 5. seq. tamen nonnunquam excurrit extraordinarie ad gentiles, & etjam eos ad consortium regni sui vocavit, Matth. 15: 21. Marc. 7: 31. Sed vero post resurrectionem & in statu exaltationis, licet ipse immediate tantum judæis se sistebat, cum primis durante adhuc specie formæ servilis: in omnem tamen terrarum orbem, & sic promiscue ad judæos & gentiles, Apostolatam suam mediatam per Apostolos, usurpatam, propitius ac misericors extendebat, Marc. 16: 15. Matth. 28: 20.

II. Vers. 2. *An Christus ωίνυα πατρί, & non γέννηα? R. (1) Non dicitur quod Pater fecit Christum simpliciter, sed quod fecit eum Apostolum ac pontificem, uti hæc modificatio habetur versu superiori. (2) Dist. igitur inter locutionem simplicem & modificatam, qualis est hæc, & plures tales aliæ, vid. Joh. 19: 12. 1. Cor. 1: 30.*

III. Vers. 2. *An confertur Christus cum Mose, ceu legislator cum legislatore? R. Vult ita Bellarm. lib. 4. de just. c. 5. Sed aliam collationem facit Apostolus, qui Mosen servo, dispensatori & famulo assimilat; Christum vero facit Dominum Creatorem ac Filium, vers. 3. 6.*

IV. Vers. 2. *Quo igitur sine Apostolus Christum cum Mose comparat, eumq; illo præstantiorem esse demonstrat? R. De Mose suo superbiebant judæi, quod majores suos ex Ægypto eduxisset, quod legem promulgasset, quod colloquio divino esset nobilitatus, ac multis miraculis inclytus factus, Joh. 9: 28. seqq. Necessum igitur fuit Apostolo Christum Mose præferre.*

V. Vers. 5. *Si Moses est servus jam Christo Domino presente, non est audiendus. R. Non describitur hic Moses simpliciter ut servus, sed ut in domo Dei fidelis officarius: nihil ergo hic de ejus doctrina, sed tantum de ministerio, quod in se quidem fuit dignissimum, sed tamen cum ministerio Filii Dei, non est comparandum, nedum æquandum.*

VI. Vers. 6. *An παρρησία: hic ut profanis scriptoribus significat libertatem & audaciam loquendi.* R. (1) Hic & alibi in sacris libris significat fiduciam, quam justificati habent ex adprehensione meriti Christi, & sensu gratiæ divinæ. (2) Sicut *παρρησία* profana, nisi temeraria fuerit, habet pro fundamento, vel bonitatem causæ, vel libertatem vitæ, *vide Luciani Piscatorem*: sic nititur *παρρησία* sacra superabundanti precio Christi, pro causa; & urget quoque libertatem, in quam Christus nos asseruit. (3) Conveniunt ergo in eo, quod utriusque sit suum fundamentum, & quod utraque eorum adversario explicetur; & illa quidem semper verbaliter, hæc vero non item, quod conscientiæ, & legis condemnationi, hostibus spiritualibus, sit opposita. atque quod alterius fundamentum est divinum, alterius civile, id est, in quo potissimum ambæ discrepant.

VII. Vers. 6. *An hypocritæ & temporarii domum Dei constituent ut membra?* R. (1) Domum Dei visibilem integrant etiam hypocritæ, sed non item invisibilem. (2) Sicut perseverantia adjunctum tantum est membrorum in Ecclesia Dei existentium; non item eorum aliquod principium constituens: sic qui vere ad tempus credunt, juxta hoc Apostoli pronunciatum, statuimus tamdiu ad domum Dei pertinere, quamdiu vere credunt, & tenent fiduciam firmam.

VIII. Vers. 6. *An hinc eliciatur certitudo electionis?* R. Est hæc certitudo non absoluta, nitens aliquo immutabili decreto, sed conditionata, & quæ super *benignitatem, veritatem ac potestatem divinam*, est filialiter concepta.

IX. Vers. 6. *An hinc stabilietur fides specialis de certitudine salutis & vite æternæ?* R. (1) Alia est ratio certitudinis salutis future; & alia est ratio certitudinis salutis presentis: illa est hypothetica, ut modo dictum, & super justam usurpationem mediocum fabricata; hæc vero est absoluta, cum nitatur firma fide, promissionem gratiæ amplectente. (2) Tribuitur hic fidei immota animi fiducia, quæ non potest cum aliqua dubitatione consistere. (3) Fallit itaque tantum spes humana, sed non item divina, ex fide justificante orta, nec non interno Spiritus Sancti testimonio confirmata, Rom. 5:5.

OBSERVATIONES.

I. DE HOMINIS CHRISTIANI STATU.

I. *Qua descriptionem; Homo Christianus est* (1) *Frater*

Christi qua doctrinam & vitam, Luc. 8: 21. (2) *Sanctus*, iustitia Christi, & qui tam ipse sanctitati studet, Apoc. 22: 11. quam sua omnia sanctificat per verbum Dei & preces, 1. Tim. 4: 5. (3) *Vocationis celestis particeps*, ex vers. 1. (4) *Domus Dei*, vers. 6. conf. 1. Cor. 3: 16. 2. Tim. 1: 14. adnitendum itaq; ut nos tales simus, vivendumq; sicut nostra professione est dignum; & servabit nos Deus regno suo celesti. 2. Tim. 4: 18.

2. *Qua Durationem*, Est ille domus Dei, si modo libertatem &c. vers. 6. Hæc libertas supponit fidem & metum omnem excutit; ipsa vero libere profitetur Christum, in quo exultat & gloriatur, sciens quod ore fiat confessio ad salutem, Rom. 10: 10. & quod qui perseveraverit ad finem, salvus erit, Matt. 10: 22.

II. DE RATIONE OFFICII.

1. *Qua Vocationem*. Ante vocationem legitimam nemo se ingeret in aliquod officium; exempla videmus hic in Christo & Mose. Tu fac similiter, & non obijcietur tibi unquam illud Jer. 23: 21. *currebant*, &c.

2. *Qua Administrationem*. Erimus in officio diligentes (1) juxta exemplum Christi & Mosis, qui fideles fuerunt, Num. 12: Apoc. 1: (2) Ob commendationem Dei, si fideles fuerimus. sicut hic commendat Christum & Moysen; sic olim commendabit nos, Matt. 25: (3) ob comminationem si aliter fecerimus: nam *maledictus omnis*, &c. Jer. 48: 10. conf. 1. Cor. 3: 17.

III DE DIFFERENTIA UTRIUUSQ; T.ⁱⁱ

Quamquam utriusq; T.ⁱⁱ, V. ac N. eadem si ratio, respectu Dei instituētis, & respectu beneficiorum utrobique promissorū: occurrunt tamen utrinque ea discrimina, quæ illa diversa esse, satis evidenter evincunt, conf. sup. c. 1. pag. 10: seq. & inf. c. 10.

Talia discrimina proponuntur varia in hac Epistola: at in textu præsentis, dantur hæc duo sequentia:

1. *Est ab utriusq; testamenti mediatore*. Vetus habuit Moysen mediatorem, Gal. 3: 19. & legislatorem, Exod. 19: Novum

autem habuit Christum & mediatorem, 1. Tim. 2: 5. & Evangelistam, Matt. 11: 28. *Lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum Jeſum*, Joh. 1: 17. Sed recordare quomodo *hi duo mediatores hic conferuntur* ab Apoſtolo noſtro: nimirum (1) *ratione originis & natura.* α. *Moſes fuit ſtructura*, i. e. domus myſticæ ſeu eccleſiæ, tantum una pars, ac unum membrum. non igitur poteſt alios ſpiritualiter condere, ſed tu, ſi velis ædificari, fruſtra ad illum decurris: ad Chriſtum properabis, qui eſt eccleſiæ architectus, & totam domum cum omnibus ejus partibus, te ac aliis, ædificat ac mundat, Eph. 5: 26. β. *Fuit Moſes per conſequens merus homo*, ſi fuit ſtructura ac creatura. Liberationem igitur eccleſiæ, ex ſervitute ſpirituali, non petes ex doctrina Moſis, ſed ex doctrina Chriſti: ſuperat quippe hoc opus conditionem hominis, & vim divinam vere requirit. tantum vero quære in illo & per illum, liberationem ex ſervitute temporali, & introductionem in terram Canan; ſicut contra Chriſtus ſolus dat ſpiritualia & divina beneficia, nimirum liberationem ex ſervitute ſpirituali, & introductionem in patriam cœleſtem. Obj. *Moſes quoq; doctrinam de Chriſto propoſuit, aliquando per aper- tas promiſſiones, ut Gen. 3: 16. & 13: per typos vero paſſim: imo, doctrina de Chriſto & ejus beneficiis fuit patribus in V. T. ſatis clare cognita, Act. 15. Heb. 11. &c.* Omnia quæ in Moſe de Chriſto docentur, non tam ad Vetus, quam ad N. T. pertinent: adeoq; ſicut legalia omnia ubicunq; inveniuntur, & quomodocunq; docentur, pertinent ad Moſen Legislatorem ac mediatorem V. T. ſic gratuitæ promiſſiones ubicunq; proponuntur, & quomodocunq; traduntur, pertinent ad Chriſtum Evangelistam & mediatorem Teſtamenti Novi. (2) *Ratione dignitatũ quomodo conferuntur, recordare ſimiliter.* Moſes tantum fuit famulus; E. ejus doctrinam ac miniſterium non putabis perpetua, ſed tandem iri abrogatum: ubi contra, per-

petna manent ministerium & doctrina Christi, de gratuita peccatorum remissione: *servus non manet in aeternum; filius autem manet in aeternum*, Joh. 8: 35. quare sicut leges ceremoniales ac forenses jam prorsus sunt sublatae, sic similiter per fidem ac adprehensionem meriti Christi, quoad *coactionem ac maledictionem*, tollitur lex moralis, 1. Tim. 1: 9. Rom. 8: 1.

II. *Discrimen hic insinuatam, petitur à modo revelandarum rerum spiritualium*, vers. 5. Moses testabatur de dicendis, & sic typos ac umbras proposuit: *in Christo autem est veritas & corpus*, Coloss. 2: & loquebatur Moses de futuris & exhibendis bonis: Christus verò docet eadem esse praesentia & exhibita: hinc Christus, *beati oculi qui vident id, quod vos videtis: dico enim vobis quod propheta multi, & reges voluerunt videre, &c.* Luc. 10: 23. seq. & Paulus: *si nos aut angelus de caelo evangelizet vobis prater id, quod evangelizavimus vobis, anathema esto*, Gal: 1: 8.

II. PARS.

De exhortatione ad obediendum Christo, doctori nobiliori.

EXPLICATIO.

In praemissa collatione Christi & Mosis, evicit Apostolus Christum multis nominibus esse Mosei praetendum: subjicit igitur nunc gravissimam exhortationem ad doctrinam ejus recipiendam, & ad auscultandum illi tanto magis, quanto ille praeter Mose dignior est & persona, & mediator. Argumenta exhortationis suae hic infert 4vor.

I. *Ex vers. 4. & 5. preced. membri repetit, à descriptione verorum Christianorum.* Sunt illi *domus Dei*, quamdiu fiduciam & spei gloriam retinuerint: elegit enim Christus hos tales sibi in domicilium Eph. 3: & eis solis vult se gratiose manifestare, eo modo quo olim gratiose se manifestavit Jacobo, Gen. 28: 17. tenentur ergo illi doctrinam ejus recipere, eiq; docili animo auscultare, ut in se tamquam in *spirituali domo*, & *singulari Bethel*, gratiose habitet. tenentur non tantum cavere,

nè polluant domum Jehova, quam sanctificaverat, 2. Chron. 36: 14. sed & obedientia ac nova vita eandem confirmare, 2. Chron. 34: 8.

II. Vers. 7. Arcessit à testimonio regii Psalta, qui jam pridem iudeos fuerat similiter exhortatus. Extat testimonium hoc Ps. 95: 7. & tribuitur Spiritui Sancto, quod ille per Davidem sit locutus, 2. Sam. 23: 2. 2. Pet. 1: 21. Ceterum in hoc testimonio nota (1) Audire non includere hic interiorem auditum, h. e. obedientiam fidei, cum externo auditu conjunctam, sicut fit Psal. 81: 9. Matt. 17: 5. sed solum denotare verbi auditum exteriorum, ut constat ex cap. 4: 2. (2) Obdurare idem esse, ac spiritui sancto resistere, Act. 7: 51. & verbum repellere, Act. 13: 46. (3) Per exacerbationem hanc significari, vel contradictionem descriptam, Num. 20. vel certe contentionem illam, qua Israëlitarum irritatis animis cum Mose contendebant, Psal. 106: 32. & ita Deum exacerbabant, Exod. 17: 7. Est autem exacerbare aliquem indigno modo tractando, ad dolorem ac iram concitare, & facere (juxta vim vocis hebraicæ) ut instar farinæ fermentatæ intumescat, sicut intumescunt, qui valde indignantur ac excandescunt, conf. Job. 17: 11. Dan. 11: 11. Sensus allegati testimonii est: sicut S. Sanctus per Davidem olim monuit populum Israëliticum, nè per inobedientiam à Deo recederet: sic ego Paulus nunc vobis sum auctor, nè à Deo recedatis, sed in fide Christi lætaq; spe, constantes permaneat: non pergetis peccare in Deum, exacerbando excelsum, Ps. 78: 17.

III. Vers. 9. seqq. Ex simili periculo illi imminente, si Christum aspernati fuerint. Textus; ubi tentaverunt me patres vestri, &c. Hujus argumenti verba proponit sub persona Dei, ut eodem Hebræi tanto magis afficerentur. Majores vestri habebant Messiam in deserto comitem, sed iniquis petulantibusq; queremoniis eum subinde tentabant: potentiam enim ejus sine verbo, ac sine urgente necessitate explorabant, non tantum in Messab & Meriba, sed passim ac per integros 40. annos; etiam postquam opera ejus vi-

derant ac probaverant, ut nihil causæ esset, cur de promissis dubitarent. Providentiæ divinæ de se Israëlita non confidebant; atq; ideo ex Ægypto in desertum educti, cum desperarent de terra promissa occupanda, Num. 13: 29. seqq. deficiente pane, sibi inedia pereundum esse, frementes apud Mosen sunt conquesti, & ad Ægyptiacas ollas respexerunt, Exod. 16: 3. dedit eis Deus cœlitus manna, panem aspectu & sapore delectabilem, sed mox etiam illius pertasi, alium panem per animorum commotionem & jurgia, à Mose postularunt, Num. 21: & quæ alia indigna tunc contra Deum commiserunt. *Vers. 10.* ergo adpropinquavit eis Deus cum plaga & pœna, cum videret eos corde, & non levitatione, peccare: fecit, ut misere omnes perirent, multi violenta peste abrepti, alii acie gladii absumpti, & nonnulli quoq; vel à terra absorpti, vel fulmine cœlitus extincti. Scilicet dum illi vias Dei non cognoscebant; *vias puta non tam mandatorum*, omnibus hominibus præscriptas, Psal. 18: 22. *quam miraculorum*, quod bonitatem ejus & potentiam non considerabant: *Vers. 11. unde juravit Deus in ira sua*, Num. 14: 23. Ps. 95: 11. *si ingredientur*, i. e. non ingredientur (particula *si* in imprecationibus & obligationibus importat negationem, uti videre est ex 1. Reg. 1: 51. Gen. 26: 28. Matt. 16: 4.) *in requiem*, id est, terram Canaan, quæ Israëlitis post longum errorem ex deserto emergentibus, fuit tandem grata quies. Cum vero Deus mentiri non potest, pœna quam contumacibus minatus est, certa illos mansit; atq; ita sunt illi prostrati, non quidem omnes, (excipiuntur Josua, Chaleb, & qui annum 20. non attigissent) *sed (α) Vers. 16.* qui vocem Domini audientes, Dominum per suum murmur, exacerbarunt. *(β) Vers. 17.* qui peccaverunt, *vel cum Aaron* vitulum adornantes, Num. 20: 24. *vel cum Mose* ad petras vacillantes, Deut. 34: 4. *(γ) Vers. 18.* qui increduli fuerunt, hos omnes prostra-

ros esse, docet eventus, & nos scimus comminationem Dei revera esse completam. Ergo sicut majores vestri, qui increduli fuerunt, quibusq; Deus juste provocatus, juravit non fore ingressuros requiem suam, sunt extincti, nec potuerunt terram requiei ingredi; sic manet vos idem discrimen, idemq; periculum, si hanc Christi doctrinam neglexeritis. Quapropter *vers. 12.* videte nē sit in vobis incredulitatis cor, deficiens à Deo, qui beneplacitum suum in filio nobis revelavit, Matth. 3: 17. desciscens à Christo, qui est verus Deus, 1. Ioh. 5: 23. & quem omnes debent glorificare, Ioh. 5: 23. verbo: cavete vobis ob presentiam Dei, & auscultate voci ejus, nec exacerbate eum, qui non ferret defectionem vestram, &c. Exod. 23: 21. seq. *Vers. 13.* sed exhortamini vos invicem quotidie, quoad adpellatur dies hodiernus i. e. quamdiu in hoc mundo duraverit vocatio vestra, Esa. 55: 6. & quotiescunq; fueritis vocati, conf. Chrylost. Hom. 6. in Hebr. Agite pœnitentiam *hodie* i. e. vel hoc temporis spatio, vel certe (ita *hodie* per *certe* explicat Flacius ad Psal. 2:) agite pœnitentiam, & cavete, nē quis induretur peccati seductione, quod fit quando peccatum in vobis regnare non sinitis, Rom. 6: 12. & cavetis nē de uno in aliud vel plura peccata, deteriores ruatis, Jacob. 1: 15.

IV. Vers. 14. A salutari perseverantia fructu. Meriti Christi fiducia stamus, fulcimur & sustentamur in ærumnis. dat enim fides in Christum, ut imperterriti contra omnes insultus, valeamus subsistere, Rom. 11: 20. ipsa vero illa fiducia dependet à fide, qua est initium substantiæ, in hoc animo spirituali: quare hanc fidem, initium hujus substantiæ spiritualis (h. e. *juxta hebraismum, præcipuum illud, in quo eeu principio, nostra salus vertitur, sicut scribit F. Junius*) ut & consequentem fiduciam, qui retinuerit usq; ad finem, is particeps est factus Christi; imo, vivit in Christo, Gal. 2: 20. & sic tam de beneficiis ejus in hac vita, quam de æterno gaudio, in futura vita, fe-

lix participat: *habenti dabitur*, Matt. 13: 12. & *qui ex nobis sunt, nobiscum quoq; manent*, 1. Joh. 2: 19. Sunt qui ἀρχὴν τῆς ζωῆς ἀ-
 ρεῖ, seu initium substantiæ, explicant per promissionem, factam à Christianis in baptismo, ad renunciandum diabolo, ac servandum religionem & sanctitatem; significat enim ζωῆς ἀρχὴς nonnunquam ζωὴν ἔχουσαν i. e. promissionem: & ὁφείδων ἀνα-
 ponitur nonnunquam προὔπισθησθαι, ut notat Camerarius: atq; hi dicunt per verba sequentis versus ἐν τῷ λέγεσθαι, describi modum & medium, quo stipulatio in baptismo facta, potest servari, nimirum si vocem ejus quotidie audiverimus, & pœnitentiam egerimus. Ultramq; explicationem ceu fidei analogam, nos recipimus: sed priorem tamen judicamus potio-
 rem, ac textui h. l. magis convenientem.

QUESTIONES.

I. Vers. 8. *Utrum intelligitur locus contradictionis, Num. 20: an contentionis, Exod. 17: 7.* R. Cum loco contradictionis non bene conveniunt hæc nomina, Messa & Meriba: præstat igitur si quo inclinandum est, dicere locum contentionis hic intelligi, ita tamen ut ponatur ille pro omnibus aliis locis, ubi per 40. annos contra Deum sapius fremuerunt.

II. Vers. 8. *An phrasis secundum diem, recte vertatur in die?* R. Et alibi ut credas, similem versionem occurrere, vide Jer. 44: 22. Dan. 9: 15.

III. Vers. 9. *Annon numerus annorum 40, rectius pertineat ad versum sequentem, 1. juxta psalmographum, qui similiter versum auspiciatur. 2. juxta quosdam codices græcos. 3. juxta ordinationem Apostolicam, inf. vers. 17. & 4. quod populus tantum per unum annum, non vero 40. viderat opera Domini in deserto, cum Deus illam comminationem vibraret.* R. Probabilia; imo, justa hæc videntur: sed tamen non displicet nobis lectio nostra, quam & codices græci pleriq; accipiunt, & in sequenti versu particula ratiocinativa non parum roborat.

IV, Vers. 11. *An Psalmographus Psal. 95. recte asserat Deum sub juramento fuisse comminatum; cum Num. 14: 23. nullius juramenti fiat*

fiat mentio? R. Singula Dei verba sunt juramenta; & ita simplex negatio Num. 14. à psalmographo per asseverationem magis explicitam, recte indigitatur nomine juramenti, est quippe *talis veri veracisq; Dei juratio nihil nisi promissi confirmatio, & infidelium quædam increpatio; Aug. l. 16. de. C. D. c. 32.*

V. Vers. 11. *Quomodo potest Deus jurare in ira, cum ut immutabilis essentia, sit expers omnium perturbationum?* R. (1) Ira Dei potest significare h. l. vel vehementiam & gravitatem pœnæ, vide Chrysost. ad Stelich. tom. 6, fol. 155. vel deniq; vindictæ effectus, vide Aug. lib. 9. de C. D. c. 5. (2) Potest ea ira Dei dici, quæ ministrorum est; & scribi, quod Deus irascatur, ubi ejus ministri delinquentibus recte irascuntur, conf. Aug. in Pl. 6. (3) Sed neq; tamen omnino vel absurdum, vel impium est, dicere in Deum cadere affectus: cum *Deus proprie loquendo sit clemens, benignus, misericors, irascatur, desideret &c.* sed tunc est nomen affectus ab omni imperfectione liberandum, purgandumq; donec de Deo recte dici mereatur. *non enim affectus sunt in Deo accidentia mutationibus obnoxia, sed sunt aut essentialia attributa, ut loquitur in locis Gerhardus, aut simplices voluntatis actus, ut scribunt Scholastici.* Quare in omnibus affectibus, qui de Deo dicuntur, *removendum est primum id, quod apud nos materiale est, & corporalem aut sensitivam transmutationem infert: relinquendum vero quod formale est, & unum facit ab altero effective finaliterq; discrepare.* Neq; tamen deinde omnes formaliter consideratos asserimus ad Deum esse referendos. In quibusdam enim ceu tristitia, ira, desiderio, &c. à parte ejus quod formale est, designatur aliqua imperfectio; hos igitur alia ratione ad Deum non referemus, nisi tantum metaphorice, propter similitudinem effectus. cœteros autem ut amorem, gaudium &c. qui in suo formali carent imperfectione, salva veritatis regula, possumus ei attribuire, conf. *Controvers. Pruten. inter Mislent. & Drejerum, ut & Jacob. Mart. in A. C. disp. 12.*

VI. Vers. 12. *Cur dicitur hypostasis?* R. Quia non cedit aut fugit, sed certissima fiducia promissionibus divinis adquiescit. ita ergo vocatur ob suam certitudinem, conf. inf. 11. 1. Et fallit Pistorius, qui ex hoc alieno loco, vult probare justificationem fide inchoari: perfici vero per opera bona.

VII. Vers. 14. *Annon eadem significatio vocis hypostaseos b. l. & sup. 1: 3.* R. Superiori capite attribuebatur personæ intelligenti; recte ergo ibi eam per substantiam exposuimus. at h. l. tribuitur euidam accidenti eeu fidei, unde etiam accidentaliter h. l. possumus eam interpretari. contra Francisc. Davidis disp. 2.

VIII. Vers. 14. *Cum panarum comminatio fit facta exitus ex Ægypto anno altero: quomodo tum potest Deus dici fuisse eis insensus per 40. annos?* R. Cœpit exacerbatio statim post exitum ex Ægypto, adeo ut Pharaone adhuc eos insequente, inciperent dissidentia fremere, & desperatione tumultuari, Exod. 14: 11.

IX. Vers. 14. *Cum terra Canan temporalis esset spiritualis Canaan typus; queritur an Deus per exclusionem à Canan etiam alterius exclusionem intellexit, & quod ita inobedientes ac incredulos duplici pœna, temporali ac spirituali multavit?* R. (1) Fuit omnino temporalis Canan cœlestis patriæ typus. unde sicut fessos itinere Israëlitas excipere ac recreare debebat terra Canan; sic nos malis hujus mundi confectos excipiet & reficiet olim Canan cœlestis. (2) Quos igitur Deus ceu indignos propter incredulitatem finalem, aditu terræ Canaan temporalis prohibuit; eos etiam à consortio cœlestis patriæ exclusit. attamen (3) ut multi, qui in deserto obiverunt, senio scilicet confecti, & non ob incredulitatem à Deo prostrati, admittebantur ad Canan cœlestem: sic (4) nonnulli, quos ibi ob temporale ac infirmitatis fere peccatum, Deus extinxit, cœlestem Canan per fidem intrarunt: ut exemplo potest esse Moses, qui ceu typus Christi, uti à Canan temporali debuit abarceri; sic simul propter contradictionem, Num. 20. actu est exclusus: attamen citra damnum Canan cœlestis & æternæ suæ salutis; quia *fidelis fuit* uti dixit sup. vers. 2. cōf. sup. c. 3.

OBSERVATIONES.

I. DE INCRECULITATE.

I. Vers. 12. *Incredulitas est causa omnis mali: reddit enim homines pravos, & quoad intellectum, & quoad voluntatem; quemadmodum quoq; astutos eos facit, ad quævis mala perpetranda; incredulis nihil est mundum, & polluta est eorum mens & conscientia.* Tit. 1: 15. Eam igitur solam ceu fontem omnis mali, dicit Christus à S. Sancto debere argui, Joh. 16: 8. Aug. in

Joh. tr. 89. *hac est peccatum ait, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisq; si non habeat, demittuntur ei cuncta peccata, & tract. 95. hoc manente, cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur.* Per hanc (1) *A Deo deficiamus*: ut enim per fidem ei adpropinquamus; sic per incredulitatem ab eo deficiamus & separamur. (2) *Per hanc spiritualiter extinguimur*: ubi à Deo vitæ auctore avellimur, jam mortui sumus, sicut ante regenerationem in peccatis omnes sumus mortui, Eph. 2:1. Matt. 8:22.

II. *Vers. 8. seqq. 16. seqq. Variat incredulitas (1) Ratione objecti, qt. vel universalis est, dum quis omne Dei verbum, & cum primis Evangelicum, rejicit contumaciter, 2. Thess. 1:8. & 2:10. vel particularis cum quis non assentitur cuidam verbo particulari, ut uxor Lothi Gen. 19: 26. & Moses ad petras ubi vacillavit. (2) Ratione temporis; quatenus vel temporaria est, ut in Mose & Aron Num. 20:10. cont. Deut. 32: 51. Zacharia Luc. 1:10. discipulis Christi, Matt. 17:20. & Israëlitarum olim multis aliis, qui postea resipuerunt & sunt conversi. Vel perpetua, ut in iis, qui finaliter pereunt, & æq; habitu ac actu sunt increduli, Act. 14: 2. Joh. 6: 65. Ita variat incredulitas ratione objecti credendi, ac ratione temporis. Ac sicut universalis incredulitas non potest non damnare, cum negligat ac rejiciat salvationis omnia media, Heb. ix. 6. sic non potest non damnare incredulitas perpetua, cum itidem media salutis rejiciat: imo damnat hæc tanto fortius ac gravius, quanto actui suo & existentia, addit majorem habitum: Ab utraq; incredulitate servet & custodiat nos Deus misericors! & nos ne obliviscamur Dei, ne ille obliviscatur nostri indefinenter; nè deseramus illum, ne deserat nos & civitatem, quam dederat nobis & majoribus nostris, Jer. 23: 39. Particularis vero incredulitatis ac temporaria, ut in hac fragilitate, possumus quandoq; rei peragi, cum tribuno, 2. Reg. 7:17. cum Mose, Num. 20. sic nunquam non rogandus est Deus, ut succurrat nostræ in-*

firmitati, Marc. 9: 24. & ut ille nos convertat, ut convertamur, sicut rogat Jeremias⁷.

III. *Vers. 13. Peccatum ex incredulitate habituali natum decipit hominem.* (1) *Illudit id peccanti sucosa specie boni.* sicut fallacia divitiarum sub specie felicitatis, suffocat sermonem, Matth. 13: 22. cum tamen alias divitiæ usurpatæ non legitime, instar spinarum nos pungant, & multos quoq; æterna felicitate privent: vide exemplum in Demas, 2. Tim. 4: 10. similiter sub specie boni nobis imponit diabolus, 2. Cor. 11: 3. Ergo cum negotium nobis sit cum hostibus tam subdolis, nè ab iis supplantemur, & ex insidiis circumveniamur, opera nobis danda est; & omnis blanda invitatio ad peccandum, non secus ac veneficium, timenda. Cantus dulcedine ut scribunt poëtæ, sopiebant Sirenæ nautas, sed sopitos demergebant ac devorabant. similiter blandiori suo svasu nos invitat incredulitas, ut circumvenire queat. Caveamus igitur illam, si non velimus sopiri, ac æternum demergi & devorari. imo, sicut Ulysses ut posset transire, ad malum navis se alligavit: sic constringamur nos verbo Dei, Psal. 119: & sine incedulitatis damno hoc mare mundi trasmitemus. verbo: *attendetis valde animis vestris, ut ametis Jehovam Deum vestrum, Josu. 23: 11.* (2) *Permittit hoc peccatum auctori suo impunitatem,* persvadetq; Deum se aut ignorare, aut non curare, propter exilitatem. dormit itaq; sub initium, & jubet hominem bono animo esse, imo, stertere, quasi nihil subsit periculi; unde nascitur exitiale malum, securitas carnalis, quæ impiorum mentes sic inebriat ac fascinat, ut Deum non amplius putent judicem, sed ipsi torpeant in malis suis, donec ruina opprimuntur.

II. DE PŒNITENTIA.

Ex vers. 15. Non est illa de die in diem differenda, sicut piemonet Syr. 5: 8. (1) *Propter exhortantis auctoritatem;* qui est S. Sanctus. Si contemptus verbi per ministrum Mosen allati, gravi-

graviter fuit vindicatus; qua poenâ afficientur, qui ipso Domino loquente & exhortante, aures obdurant? verſ. 7. (2) *Propter noſtram utilitatem*, quæ eſt ut per poenitentiam reconciliemur Deo, ne ſubita morte concidamus cum Iſraëlitis, & excludamur patria ac requie cœleſti. *E. cum ſciamus 1. hodie i. e. in hac vita*, & non poſt hanc, miſericordiæ eſſe locum, hodie & in hac vita, nos quoq; agamus poenitentiam. 2. *Cum ſciamus hodie i. e. pro tempore*, Deum nos clementer vocare; noſtrum erit datam occaſionem occupare, ne â nobis ad alios tranſferat ſuum verbum, Act. 13: 46. quotieſcunq; igitur audimus Dei vocem, ſinamus nos eâ flecti, & agamus poenitentiam: *noli tardare converti ad Dominum*, Syr. 18: 22.

III. DE SALVANDIS.

I. *Verſ. 6. & 14. Salvandi & electi ſunt iidem*, ſeu nulli alii ſunt electi, quam qui ſalutem æternam aliquando conſequentur; & qui ſalutem æternam conſequentur, ſunt electi: *ſunt enim electi inſcripti in librum vite, & hi ſalvantur*, quemadmodum porro *electio aſſequitur ſuam finem*, Rom. 11: 7. & *prædeſtinati glorificantur*, Rom. 8: 30.

II. *Verſ. 9. ſeqq. Salvandi habent duplicem reſpectum*, unum quoad renaſcentiam, qua conſiſtit in converſione, juſtificatione & ſanctificatione: & alterum quoad ſalutis æternæ totalem poſſeſſionem. Poſtერიorem hunc ſalvandorum reſpectum accipiunt quoq; electi, ſed non item priorem, niſi quatenus illum præſupponunt, & ſic demum hunc poſtერიorem ex Dei decreto ſiſtunt & abſolvunt, Matth. 20: 16.

III. *Verſ. 16. Salvandi juxta priorem reſpectum poſſunt ita renaſcentiæ dono excidere, & fidem ac S. Sanctum amittere, ut pereant in æternum*, ſicut teſtantur exempla Judæ Iſchariotis, & multorum, qui in deſerto ſunt proſtrati: ſed verò ſalvandi juxta poſtერიorem reſpectum, ut & electi, etſi poſſint totaliter gratia Dei excidere, ſicut totaliter gratiam Dei amiſit

Aron per suum vitulum, *Exod.* 32: & *David* per suum adulterium ac homicidium, *2. Sam.* 11: conf. *2. Sam.* 12: 7. nunquam tamen finaliter eandem amittunt, nec æterna salute unquam excidunt.

IV. Conveniunt ergo quoad possibilitatem lapsus, non partialis tantum, sed & totalis, spectati quoad gratiam Dei; verum mox discrepant, quod in illo priore respectu potest lapsus esse finalis, qualis tamen nunquam est in respectu posteriore, qui salvandis cum electis potest esse communis. Implicat quippe sine gratia esse & salvari, postquam salus cœpit donum Dei esse, *Eph.* 2: 9.

CAP. IV.

Cohæret hoc caput cum antecedente, & continet interpretationem requiei, cujus in ante allegato loco (*Ps.* 95.) meminit *Psalter*.

Partes sunt tres: I. Dehortatur à securitatis vitio, ne gratia Dei excidamus, ad vers. 11. II. Exhortatur ad sollicitudinem & studium ingrediendi requiem æternam, ad vers. 14. III. Concludit hæc commonefactiones, & ad officium Christi Sacerdotale digreditur.

I. PARS.

De Cavenda Securitate.

EXPLICATIO.

Sub finem superioris capitis scripsit *Apostol*: cum videamus ex populo *Israëlitico* tam multos propter incredulitatem à promissa requie fuisse exclusos. Eorum occasione nunc commonefactionem subjungit, & *vers. 1. caveamus*, ait, omni cura ac studio, ne quando, ubi relinquimus promissionem ingrediendæ requiei ejus spiritualis ac æternæ, aliquis vestrum vel nostrum (variant cōdices in lectione, sicuti alias personæ sæpius inter se commutantur) videatur sperato bono frustratus. Promisit *Moses* ex Dei mandato, *Israëlitis* quietem terræ *Chanaan*: promittit &

rit & Christus omnibus fidelibus quietem æternam, adumbratam per temporalem alteram: ut ergo qui non crediderunt Moſi, terra Chanaan prohibiti, ſunt frustrati ſpe, cui inhiabant: ſic qui in dubium vocant promiſſionem Chriſti, ſpe ſua fruſtrantur, ac ab æterna requie excluduntur: hæc ne Hebræi paterentur, voluit Apoſtolus eos hic admonere. Securitatem ergo hic diſſuadet, ac ſimul hortatur, ut *cum timore ac tremore operentur ſuam ſalutem.*

Inducitur autem plerumq; omnis damnabilis ſecuritas: vel (1) periculorum oblivione, facta ex rerum bonarum effuſa adfluentia, dat nobis Deus ſua bona, ut iis invitetur ad pœnitentiam, Rom. 2: 4. ſed ſæpius proh dolor, contingit, ut non modo memoria eorum, non agamus pœnitentiam, ſed contra, illis inebriati memoriam & pœnitentiæ & Dei deponamus, jacentes ſecure, Job. 11: 18. & degentes in habitaculis ſecuris, Eſa. 32: 18. vel (2) Inducitur illa ex contemptu periculi, qualis ſecuritas fuit temporibus Noë, Luc. 17: 26. vel deniq; (3) Ex temeraria confidentia, ubi quis confidit præſidio, ubi non eſt præſidium; exempla hujus vide in Midianitis Judic. 8: 11. Babyloniiſ Dan. 5: 30. ſeqq. Ad ſecuritatem modi primi vix reſpicit h. l. Apoſtolus, cum Hebræi tempore ejus, ſub ſua lege ac jugo Romano, magis reſpirarent, quam abundantia bonorum luxiarent. Ad poſteriores duos ſuſpicamur eum reſpicere; ac primum monere, ne in lege ſua ceremoniali quicquam præſidii aut ſpei amplius quærerent. Non putabat Babylon aliam omnino gentem fore ſecum conferendam, ſed ſpe fruſtrata eſt; nam agnovit Perſarum & Medorum gentem ſe fortiorem eſſe, ad Eſa. 47: 8. ſcribit Cyrillus. Similiter qui Hebræorum h. t. ponebant ſpem in ſua lege, fruſtrati ſunt, & poſtea cognoscere coacti, gratiam Chriſti ſua lege longe eſſe firmiorem ac ſalubriorem. Deinde ſuſpicamur eum monere, ne abſq; metu mali viverent, vel mundo dediti, cum divite Luc. 12: 18. vel alias voluptatiſ ſervi.

servientes, ac clamantes: *pax & securitas*, 1. Theff. 5: 3. ne expertes timoris divini, patria cœlesti, secus quam opinabantur, aliquando prohiberentur. reputarent; si Deus prostravit in deserto eos, qui Mosi fuerunt rebelles, &c. gravioribus utiq; pœnis idem mulctabit illos, qui filium suum Mose multo superiorem, audire nolunt, Joh. 3: 36.

Argumentis autem ad dissuadendam securitatem utitur sequentibus:

I. Vers. 2. Ex Communi ac Simili Periculo. Sumus Evangelizati, & læta quæq; spiritualia habemus nobis annunciata, Matt. 11: 4. Luc. 7: 21. sicuti neq; majores vestri spiritualibus ac gratuitis bonis caruerunt: ut vero *verbum auditionis* vel auditum (evangelium prædicatum & lex proposita) *non profuit illis*. 1. quat. non fuerunt conjuncti fide cum Josva & Calebo, uti scribunt patres græci, & multi alii: (non tantum debemus promissiones audire, sed cum Josva & Calebo illis quoq; fidem facere, h. e. vera fide recipere, quæ Deus promittit, conf. Rom. 2: 13. Matt. 7: 21. Jacob. 1: 22.) vel 2. ut verbum auditum non profuit, quatenus ipsum non erat temperatum auditorum fide, quæ externum auditum quasi vivificat ac animat, prout cum Syris legunt complures alii; sed illi Israelitæ sunt extincti in suis prævaricationibus; sic ubi similis contumacia ac incredulitas nos capit, nec nobis prodest verbum prædicatum, sed nos manente justitia Dei semper eadem, consumimur ac delemur miserabiliter. inf. 10: 31.

II. Vers. 3. Ex Utili. Si hunc sermonem auditum admiserimus ac receperimus, jam per eum ædificamur: est enim nobis juxta Dei intentionem, *odor vita ad vitam*, 2. Cor. 2: 16. Unde concludit: *ingrediamur ergo per fidem constantem, in requiem*, ad quam evangelio invitamur. Sed nota (1) *Verbum ingredi* in præsentem positum esse, pro significatione futura, & non tantum juxta morem propheticum, ad requiei certitudinem exprimendam: sed & β . quod hoc verbum in præsentem

ſenti ſub ſignificatione futura, ſæpius in ſcripturis uſurpetur, conf. Matt. 11: 3. Joh. 6: 14. Luc. 7: 18. *γ.* cum primis uero quod noſter ingreſſus per fidem, in hac uita tātum inchoëtur.

(2) *Nota Apoſtolum explicare requiem, cuius ante meminerat, occaſione pſalmi 95. Oſtendite eam (α) verſ. 4. aliam eſſe, quam primam illam, qua Deus ab operibus ſuis quieuit Gen. 2: 2. Exod. 20: 11, quieuit inquam, ſed quoad nouarum ſpecierum creationem, non uero quoad creatarum ſuſtentationem ac gubernationem, in quibus etjamnum operatur, Joh. 5: Hæc quies creationis non poteſt ibi intelligi, primum ob rationem temporis: iurauit Deus de requie introducenda, poſtquam omnia jam pridem ante eſſent creata; unde prima requies ſeu creationis, neutiſquam poteſt intelligi. Deinde non poteſt ea intelligi ob qualitatem iurata huius requiei. Verſ. 5. ſcribit: & in hoc pſalmo iterum dicitur, ſi ingredientur in requiem meam. Conditio igitur huius requiei iurata eſt ut fide nobis aperiat, & incredulitate rursus recludatur; ſicut etjam verſ. 6. dicitur, quod aliqui per fidem eam intrarunt, & propter incredulitatem ſunt reliqui ab ea excluſi. creationis uero quies ut eſt Deo propria ac ſingularis, ſic fide aut incredulitate noſtra, nihil afficitur; negari tamen non debet, quod quies cœleſtis ſit adumbrata per quietem creationis; ut enim Deus cum ingrederetur in requiem ſuam, ceſſauit ab operibus creationis; ita nos qui requiem æternam volumus ingredi, prius deſiſtere ac ceſſare oportet ab operibus & peccatis noſtris: atq; id cum fecerimus, jam per fidem quies & gaudium æternum nobis datur, Eph. 2. 8. (β) Similiter oſtendit Apoſtolus implicite requiem cœleſtem aliam & diuerſam eſſe, à requie introductionis in terram Canan. ſcribit verſ. 7. deſinit per Dauidem unum diem, hodie, poſt tantum temporis, &c. Scilicet ſi requies introductionis intelligeretur, primū non potuiſſet Dauid de re ante 400. aut circiter annos præterita, ut futura loqui: ſed hebræi*

brai re obtenant contenti ac gaudentes, potuissent vanitatis exhortationem ejus damnare: jam tum enim erant collocati in terram Canan. *Deinde si requies introductionis intelligeretur, non potuisset David* ceu per fidem parabilem, eis eam commendare. non opus habebant per fidem & auscultationem, parare sibi eam terram, quam jam pedibus premebant: sicut porro ingressu ejus terræ, quam jam possidebant, per incredulitatem non potuerunt privari. Neq; *tertio vers. 8. potuisset de nova loqui*, priore jam pridem completa. Unde concludit *vers. 9.* hanc requiem à prioribus duabus, quæ apud Hebræos fuerunt maxime solennes, esse aliam & diversam: discrepare eam à requie introductionis, & tanto magis à requie sanctificationis, cum qua voluit eam solum hic conferre expresse. Addit ergo *vers. 9.* populo Dei servari requiem aternam. etenim qui *vers. 10.* hanc requiem per fidem fuerit ingressus, sic requiescet à labore, miseria & dolore, quibus hic fuerat obnoxius, Act. 14: 13. sicut Deus die septimo quievit ab operibus suis, Exod. 20: 11.

QUÆSTIONES.

I. *Vers. 1. Quomodo potest fides justificans consistere cum timore: & an non abest fiducia, ubi adest timor?* R. Sicut fiducia & timor in primo decalogi præcepto conjunguntur; sic hic bene conjungi possunt; nec pollicetur sibi fiducia nostra carnalem securitatem, sed cum timore filiali est conjuncta, & sub illa operatur salutem: *contra Pontif.*

II. *Vers. 2. Quid significat verbum auditionis?* R. Significat verbum auditum, ac vi relationis, idem prædicatum.

III. *Vers. 2. An in boni nuncii genero consistat similitudo, & non item eandem ejus speciem substernat. scilicet quod patribus nunciata tantum fuit requies hujus seculi: sed nobis data quedam felicior post hoc seculum; sicut male infert Estius scriptor Pontificius.* R. (1) Terra Canan erat typus cœlestis patriæ. ergo dum terra Canan patribus promittebatur, illis etiam cœlestis patria est promissa; quare non sunt inter se opponenda, quæ sunt subordinata. (2) Non tantum

lex fuit patribus lata, sed & facta promissio de Messia & ejus beneficiis, quæ utiq; bona sunt spiritualia & æterna: sed tamen hæc spiritualia, ut nobis perspicue tantum non obtruduntur; sic illis sub involuero beneficiorum corporalium, sæpius offerebantur. (3) Vera itaq; differentia consistit in *promissionis modo*, mediato ibi, hic immediato: ut & in *perspicuitatis gradu*, ibi minore, hic majore.

IV. Vers. 2. *An commoda h. l. versio vulgata, quæ græca: τοῖς ἀνεσώτοις, vertit passive, ex iis quæ audiverunt?* R. Est talis Versio vitiosa: & quamquam vulgatam h. l. per additionem, circumlocutionem &c. lenire conentur multi pontificii; ingenue tamen Estius & Ribera fatentur eam hic inciticia scribarum esse depravatam.

V. Vers. 3. *Si altera vita est quies; an igitur ibi dormiunt anima separata?* R. (1) Non omnis quies est somnus. unde quiescere dicitur Deus, Gen. 2: sed non dormire, Psal. 121: 4. (2) Dicitur futura vita quies, non respectu termini ad quem: debent enim Deum sine intermissione celebrare, Apoc. 4: 8. sed respectu termini à quo, quod quiescant à suis malis, Apoc. 14: 13

VI. Vers. 5. *Annon hic anis dicti occurrunt plures sensus, dum quæ de terra Canan dicuntur ad literam, Ps. 95: 11. Referuntur spiritualiter ad vitam æternam, Heb. 4: 5.* R. Non hoc modo duplicatur sensus, nedum priori additur novus; sed tantum refertur signum ad rem signatam, & quod in signolatabat, apertiori ratione explicatur, conf. Thumm. de V. D. part. 2.

VII. Vers. 8. *Cum terram promissam intrarent minorennes, quaeritur an cum typo terra Canan, acceperunt etiam vitam æternam.* R. Horum qui increduli fuerunt, tantum reficiebantur bono temporali; antitypum autem cœlestem patriam non consequabantur: conf. sup. c. 3.

OBSERVATIONES.

DE SABBATO.

I. Vers. 9. *Sabbatum in tota scriptura N. T. quoad nomen & hanc significationem, tantum reperitur h. loco. estq; nomen, non græcum, ut opinatur Plutarchus, sive à Sabbo i. e. Baccho, sive à Sabazæur i. e. genialiter vivere, illud derives: neq; Ægyptiacum est, sicut referente Josepho, opinabatur Apion, qui fingebat Ju-*

dæos Ægypto pullos, ac sex dierum itinere ingvinum ulceribus affectos, die 7mo quieville, & ita illam requiem sabbatum dixisse, quod Ægyptii ingvinis morbum vocarent sabbatosim: *sed nomen est hebraicum*, ac significat quietem & requiem à labore.

II. *Nominat scriptura quintuplicem quietem.* (1) *Creationis* die septimo, Gen. 2: 1. (2) *Sabbati* in memoriam creationis, Neh. 9: 14. (3) *Populi Israelitici* in terra Canan, Deut. 12: 9. (4) *Credientium* ab operibus peccatis, Esa. 56: 2. (5) *Electorum* in futura vita. Tu attende quomodo *quies prima sit exemplum quarta: secunda & tertia typus quinta: & quarta inchoatio quinta.*

III. *In hoc textu cum primis indigitatur ac observatur.* (1) *Vers. 4.* *Quies creationis, que est ipsius Dei omnipotentis, qua ille absoluto creationis opere, die septimo quievit.* Deut. 5: 14. Hanc quietem sumpsit Deus, *non respectu operum justitiæ, qua semper operatur, & operabitur sine fine*, uti tract. 29. in Matt. scribit Origenes. *neq; respectu operum productorum, quatenus fuit iis defatigatus, ut blasphemæ cavillatur Celsus, vide Orig. lib. 6. contra eum* sed quatenus *creaturam nullam amplius condebat, postquam perfectæ sunt omnia*, uti scribit Aug. tract. 20. in Joh. Atq; ita est hæc Dei quies, proprie quædam cessatio, Apoc. 4: 8. seqq.

(2) *Vers. 7.* *Quies sanctificationis est septimi diei quies nobis à Deo imperata, in recreationem corporis, per cessationem ab operibus manuariis, sed cum primis ad vacandum cultui divino, cui hic dies totus est consecratus.* Eadem fuit ratio aliarum feriarum judaicarum, quas præter *hebdomadarias*, de quibus Exod. 12: 16. habuerunt, vel *menstruas*, ut in Neomeeniis, Num. 28: 11. Psal. 81: 4. Ezech. 46: 1. seqq. vel *annuas*, de quibus Deut. 16: seqq. omnes enim dederunt curam corporis, & cultum divinum imperarunt. Sed nota (1) *TEMPUS, quo instituta est quies sanctificationis.* Non primum instituta fuit.

tempore Moſis, ſub promulgationem decalogi; ſed jam tum
 exitit & cœpit ab initio mundi. 1. *Sãctificavit Deus diem ſeptimũ.*
 Gẽ. 2: 3. unde conjicimus non modo ipſum illo die quieviſſe,
 ſed quoq; in cultum ac honorem ſui, ſacra hominibus im-
 peraſſe. & ita 2. *ſiebant ſacrificia patriarcharum* peculiari die,
 & ab iis, qui ſacris exercitiis vacabant. 3. *In ſpecie ante legem*
datam, fuiſſe præceptum de observando ac ſanctificando ſabba-
 to in memoriam creationis, conſtat non obſcure ex Exod.
 16: 25. ſeq. Unde 4. *ſub legis promulgationem, dicitur memento ſan-*
ctificare ſabbatum, Exod. 20: 12. quaſi diceret: nè intermiſeris
 ſanctificationem ſabbati, imperatam quidem olim, ſed quæ
 jam venerat in deſuetudinem. Ita de tempore ſentimus con-
 tra veteres ſcriptores, juſtin. in dial. cum Tryph. Tertul. in
 tract. adverſus judæos, Eufeb. hiſt. Eccl. lib. 1: 4. nec non
 contra modernos noſtros pleroſq; adverſarios. *Nota (2) quietis*
hujus FINES: & primum generales ac omnibus temporibus com-
 munes, ceu 1. *Vacare cultui divino;* unde ſabbatum dicitur ſan-
 ctum Neh. 9: 14. & quidem Deo ſanctum, Exod. 16: 23. quo
 nomine ſabbatum imperat conventus publicos, ad audien-
 dum verbum Dei, Act. 13: 14, ad precandum Deum, Act. 16.
 13, ad decantandum pſalmos in honorem Dei, Pſal. 92: 1.
 2. *A continuis laboribus ſe & corpus ſuum reficere;* frangitur enim
 corpus continuis laboribus, & ſic opus habet quiete vires
 recolligente, Marc. 6: 31. ac animum à negociis ſeculari-
 bus ad cultum divinum transmittente: conſ. Joſeph. Ant.
 lib. 16. c. 4. *Speciales fines determinantur, vel discrimine teſta-*
mentorum, quatenus in V. T. peragebantur ſacra obſcurius,
 nempe in typis & figuris: in N. a. T. celebrantur eadem cla-
 rius, umbris adventu corporis, remotis: & quatenus olim
 memoriam potiffimum creationis recolebant veteres, Exod.
 20: 10. ſeqq. ubi contra nos et jam plurimum Dei operum ac be-
 neficiorum memoriam canere ac de prædicare tenemur. *Vel*

determinantur iidem ratione legis promulgata. Post legem fuit Sabbathum judæis tam in distinctionem ab aliis gentibus, uti observat Theodor. in Ezech. 20: 13. quam in signum fæderis inter Deum ac eos, Exod. 31: 13. Hi sunt sabbati fines notabiliores; Tu generalium ac te obligantium vide nẽ obliviscaris, cum primum cura, nẽ hanc sanctificationis quietem profanes, conf. Esa. 56: 2. Ezech. 20: 13.

(3) *Vers. 5.* *Quies introductionis fuit Israëlitis propria,* quatenus illi post longum errorem & diurnam peregrinationem, tandem definito temporis spatio, sunt intromissi in terram Chanaan, ipsis promissam, Gen. 12: 7. Ampla erat hæc regio, Exod. 3: 8. fertilissima erat, Num. 13: 27. ferebat fructus præstantissimos, Gen. 43: 11. excepit ergo Israëlitas, reductosq; in patriam promissam, omnibus bonis refecit. Tu deprædica bonitatem Dei in illis, & consilium ejus admirare. dedit non merentibus terram fertillissimam, & defatigatis requiem dulcissimam: potuisset ante in terram suam eos admittere, sed noluit, antequam & Chananæi mensura peccatorum expleta, jure possessionis excidissent, & Israëlitas summum desiderium occupandæ ejus, accendisset.

(4) *Vers. 9. seq.* *Quies consummationis est electorum ab omni ærumna, malo, dolore &c. æterna requies,* Esa. 66: 23. Apoc. 14: (α) *Hæc quies est præfigurata; primum per quietem creationis,* ut sicut hæc creatori facta est æterna, nunquam crescens, nunquam deficiens; sic nullis seculorum seculis terminabitur electorum requies æterna. *deinde per quietem sanctificationis,* ut sicut per verbum in requie sanctificationis Deus nobiscum loquitur, & ipsum habitantem in cœlis nos per preces alloquimur: sic in quiete consummationis erit inter Deum & electos, blandum colloquium. (β) *In se autem est hæc quies agnitio Dei,* Joh. 17: celebratio nominis divini, Apoc. 5. & exultatio perpetua, Esa. 64. Sed tamen dicitur quies & sabbatum, respectu eorum

rum, quæ relinquuntur in mundo, & nihil sunt nisi dolor & labor, Psal. 90: Atq; ab his uti quiescunt electi; sic sub festiuitatibus æternis in voluptate, exercebuntur negociis angelicis; memores quod sic requiescant per gratiam Dei, & meritum Christi, Rom. 6: 33. Anhelemus ad hanc requiem, & caveamus, ne veniamus janua ejus occlusa; Matth. 25: 10.

II PARS.

De Sectanda pietate.

EXPLICATIO.

Hactenus in hoc capite dehortatus est Apostolus Hebræos à variis vitiis ac iniquitatibus, potissimum vero ab incredulitate, omnium malorum fonte ac scaturigine: nunc vero exhortari eos incipit, ad sectandas virtutes Christianas, præ primis tamen ad quærendam fidem, per quam in cœlestia gaudia possent intromitti. Continetur ipsa propositio exhortatoria, vers. 11. *Studeamus igitur*, &c. ubi non simplicem curam fidei exigit, sed accuratam & assiduam, cum regnum Dei non offeratur ignavis, sed ab assiduis cultoribus rapiatur, Matth. 11: 12. ac mox subjiciuntur propositionis illius certæ rationes.

I. Vers. 11. Ab incommodo. ne quis eodem &c. Qui fidem non quærit nec sectatur, erit cum illis documentum lapsus. adeoq; sicut illi perierunt per incredulitatem; sic peribit & hic eorum imitator, morte temporali & æterna: potest quippè Deus incredulitatem ejus videre, qui omniscius est, Psal. 7: conf. Matth. 9: 4. & qui sic omnia occulta hominis rimatur & penetrat: quod vero velit eum propter incredulitatem excludere, patet ex eo, quod juravit incredulos iri exclusum; sub mortem igitur hi tales separantur à piis, sicut hirci separantur ab ovibus, Matt. 25: 33.

II. Vers. 12. Ab efficacia verbi, cui obedire debbant. Hunc versum *multi interpretantur de Christo*, quare ad stringendam ingenii

ingenii humani pravitatem (quæ scelerum impunitatem sibi pollicetur, quæ sibi imaginatur, Deum non videre cordis hypocrisis, atq; sic non animadvertere quomodo cum piorum multitudine, in requiem cœlestem ingrediuntur etjam quidam impii) dicunt in hunc modum hic Christum judicem omnium describi. Ajunt: *Est ille vivus*: E. cum illo ceu mortuo non licet agere. *Est ille efficax*: E. cum illo non licet secure ludere, præsertim cum efficaciam & potentiam suam exercent more gladiatoris, utrinq; geminato suo ense ferientis. *Est ille xapθio γρός ης* Matt. 9: 4. E. cor veluti in partes dissectum intuetur, ac singulas ejus partes excutit, conclusiones & enthymemata examinat, Joh. 1: 47. imo, ceu creator uno actu intuetur omnia, & omnia etjam penitissima quæq; sunt ejus oculis aperta & nuda. *Est ille instar anatomici*: E. cuncta concinne resolvit in corpore, ut omnia spectatoribus sint nuda. E. mentem & solertiam excogitandorum præsidiorum frangit. E. cogitationes ipsas, quibus hypocritæ contra Dei iram se tueri conantur, frustratur dissipatq;. Sunt, fatemur, hæ rationes satis probæ, & videntur dictam expositionem plus quam simpliciter probare: inclinamus tamen præeuntibus multis aliis, in eam sententiam, quæ de verbo Dei hunc versum explicat. *Verbum vobis predicatum est* (1) *vivum & efficax*, Act. 4: 20. Joh. 5: 14. Rom. 1: 16. Esa. 55: 11. sive vos idem usurpetis, sive damnetis: est enim tam odor vitæ ad vitam, quam mortis ad mortem, 2. Cor. 2: 16. scilicet si vos id receperitis, operatur in vobis salutem, Psal. 19: 7. 119: 50. sed si id neglexeritis, augetur in vobis abundantia damnationis, Rom. 1: 20. (2) *Est id penetrantius quovis ancipiti gladio*, tam in indicandis ac medendis defectibus apud eos, qui id recipiunt, quam in plectendis incredulis: ut enim nihil æq; ac verbum Dei potest errores detegere ac sanare apud bonos; facit cor ardere, Luc 24: 32. sic rursus instar ancipitis gladii idem apud impro-

improbos sævit ac mactat; pungit corda eorum, Act. 2: 37.

(3) *Est pertingens usq; ad divisionem, &c.* Aliqui intelligunt per *animam*, sensitivam facultatem, & per *spiritum* facultatem rationalem: sed non incommode statui potest, hæc & sequentia recenseri, non tam ad diversa verbi divini objecta indigitanda, quam ad ostendendum verbum Dei ita ad interiora penetrare, ut eorum nihil sit, quod id non purget ac seceat. (4) *Est id iudex cogitationum ac intentionum cordis:* nam non solum novit & discernit, quid quisq; cogitet in suo corde; sed quoq; ipsas cogitationes cordis cujusq; dijudicat.

Vers. 13. Atq; hanc omnem efficaciam habet, quia est Dei verbum. coram Deo non potest aliqua creatura latere, neque quicquam quod in aliqua creatura est, sive dictum, sive meditatam, sive factum, sive omissum fuerit, potest ejus conspectum fugere: *omnia enim ejus oculis nuda & resupinata;* vel cæsarum victimarum instar, quæ detractis pellibus &c, ilia sua ac interiora quæq; præbent spectanda: vel modo superatorum, qui humum prostrati arbitrium prosternentis coguntur expectare ac ferre. ita nimirum omnia 1. manent Dei oculis subjecta quoad cognitionem; & 2. coguntur quasi resupinata ac victa ejus arbitrium ferre: tam omniscius ac omnipotens est hic Deus; *apud quem est nobis reddenda ratio, vel de quo loquimur;* sicut hæc præpositio explicatur, c. 1: 7. & 5: 11.

Q U Æ S T I O N E S.

I. Vers. 12. *An verbum h. l. intelligatur ὁ υἱὸς αἰώνιον; an ὁ θεογενῆτον.* R. (1) *Pro priori sententia, quod per verbum intelligatur Filius Dei,* sicut fit, Joh. 1: 1. Apoc. 19: 13. sunt sequentia argumenta. 1. Apostoli scopus, qui erat dehortari ab incredulitate, conf. Psal. 2: 11. 2. Tribuitur huic verbo vita & efficacia non tantum effective, sed & formaliter, quod verbo substantiali optime competit. 3. Interprete Syro & multis aliis, debemus huic verbo reddere rationem: quemadmodum 4. illud est scrutator cogitationum. quæ omnia in Christum judicem aptissime quadrant. 5. Dicit

omnes creaturas ac omnia, ejus oculis patere, ubi videtur exprimi Christi omniscientia. 6. Ostendit sequens illatio vers. 14. de Christo sermonem esse. & 7. ponitur quoq; vox *verbum* absolute. Hæc inquam, argumenta videntur obtinere, *verbum* substantiale ceu filium Dei hic intelligi; unde quoq; de eodem hunc versiculum interpretati sunt multi ex patribus & recentioribus. *Sed tamen* (2) *quod hic intelligatur verbum* $\omega\rho\rho\sigma\omega\rho\mu\acute{o}\nu$ *facile evincunt sequentia*: 1. In præcedentibus c. 1: 1. 2: 2. 4: 2. multa de verbo audito attulerat Apostolus, cum quibus hæc optime cohærent, si accipiantur de efficacia & operatione verbi in cordibus humanis, & præpripis incredulorum, qui quamquam id pertinaciter repudient; tamen in cordibus suis eos sentiunt aculeos, ac si quis duplici gladio eorum interiora secaret. 2. Verbi substantialis passim meminit Johannes in suis scriptis; sed nusquam Paulus. & 3. quæcunq; h. l. de verbo dicuntur, ea verbo audito in aliis locis scripturæ similiter tribuuntur. Est id *sermo vivus*, Joh. 6: 63. & 68. conf. Phil. 2: 16. *sermo efficax*, Rom. 1: 16. conf. Eccles. 12: 11. 2. Cor. 2: 4. *gladius penetrans*, Ef. 11: 4. Eph. 6: 17. Apoc. 1: 16. 2: 12. *judex*, Joh. 12: 48. Atq; hæc argumenta ut potiora sunt, ita nos illa prioribus facile præferimus, credimusq; de verbo prædicato si non solû, certe principaliter hic agi. Et facile per se ruunt adversæ opinionis argumenta pleraq; dum planum fit quæ illa ad Christum unice refert, mente ac phrasi S. Sancti, cum verbo audibili esse communia: tantum duo hic addimus. 1. *Ad connexionem cum vers. 14. de verbo substantiali* *Sc. respondemus: non esse illam collectionem ex proxime præcedentibus excerptam, sed deductam ex antecedentibus, quæ habentur cap. 3. 7. & postea longa digressionem interrumpuntur.* 2. *Monemus pronomen ejus, non tam ad verbum esse referendum, quam ad Deum ipsum; reddit enim ibi Apostolus causam, cur ita efficax sit verbum, vivum & penetrans; nimirum quia est Dei viventis ac omnipotentis verbum. Possunt hic multæ questionem proponi, tam veteres & ante agitata, quam recentes, & quæ ansâ priorum exoriuntur; sed nos iis h. l. abstinemus, ne avidè copiam earum videamur affectasse. erit locus ubi de iis agemus alias.*

II. Vers. 13. *Si omnia apud Deum nuda, jam peccata nostra non possunt tegi, sicut tamen scribit David, Psal. 32: R. Omnia sunt nuda.*

auda apud Deum qua sui existentiam, quomodo eam peccata nostra sunt ejus oculis i.e. notitiæ exposita: sed tamen teguntur eadem qua sui rationem moralem, dum propter justitiam Christi in condemnationem non imputantur.

OBSERVATIONES.

DE VERBO DEI.

I. *Qua Nomen.* Dicitur (1) *verbum Dei*, quia à Deo profectum est, & cognitionem Dei divinorumq; aliorum, nobis relinquit ac imprimit. (2) *Verbum* vero dicitur, non quasi S. Sanctus per externum aliquod vocale transiens, id Apostolis vel Prophetis dixisset; sed quatenus per literas & voces, aut quod iis olim fuit analogon, divina illa sapientia sit nobis revelata.

II. *Qua Distinctionem.* (1) *Ratione revelationis, aliud dependet immediate à Deo*, inspiratum mentibus Prophetarum & Apostolorum: *aliud per eos*, aut viva voce per prædicationem; aut literis & characteribus, per scriptionem, nobiscum communicatum. Utrumq; est idem *α. originaliter*, quatenus utrumq; à Deo est; sive immediate sit inspiratum, sive in chartam conjectum, & inde nunc per lectionem vel auditionem hauriatur. *β. Est utrumq; idem effective*, quatenus utrumq; sapientiam Dei nobis revelat & ingerit. *γ. Est utrumq; idem finaliter*, quatenus per utrumq; quæritur gloria Dei, & salus hominum. *tantum vero discrepant circa revelationis materiam & tempus.* Immediatum agebat sine literis & characteribus nostris: mediatum vero est his rationibus & figuris immersum. Immediatum fiebat celerius: mediatum tardius agit & lentius, ceu figuris immersum, & nostro captui attemperatum, Rom. 10. 17.

(2) *Distinguitur ratione objecti, quatenus vel legale est, vel evangelicum*: h. e. quatenus nobis revelat & imprimit vel literam, vel spiritum, 2. Cor. 3: 6. egemus enim tam notificatione & impressione justitiæ Dei, quam largitione ejus misericordiae

diæ & gratiæ: sicut per utriusq; temperamentum in Christo, salvamur gratis per fidem, Rom. 4: 3. seqq.

(3) *Distinguitur ratione suorum actuum, in externum & internum; quatenus vel per syllabas, characteres & voces, aut quod iis analogon est, notificat: vel quæ notificavit, imprimit. Nos hic improbamus explicationes Calvinianas (petunt eas a subiecto occupat, homine, qui electus est, ut ajunt absolute; vel ab utili, cohonestatione verbi, ut homines id magis sectentur) & quoque relinquimus multorum calorem & subtilitatem, qui pro interno verbo ponunt, vel verbi objectum, conceptum divinum in mente divina; vel effectum, illius conceptus in nobis representationem ac impressionem. Simpliciter vero nos incedimus, & nomine verbi externi, sunt nobis syllabæ & voces, aut quod iis olim fuit analogon: per verbum vero internum intelligimus vim illam divinam, quæ vocibus & characteribus illis, ex ordinatione divina, semper in usu, & ad quemcunq;, adjacet, physice & divino modo imprimens, quæ voces & figuræ significarunt: quare plura apud Polemicos nostros scriptores.*

III. *Qua Qualitatem. Verbum Dei non est res mortua: sed est verbum vivum. (1) in se ac subjective. unde hic vivum dicitur, & semini incorruptibili comparatur, 1. Pet. 1: 23. quod quemadmodum semen in naturalibus alimentis & medicamentis, vivit ac animatum est: ita vivit verbum Dei, & suam animam divinam habet. quare etiam alibi in scriptura Sacra assimilatur pluvix & imbri, quæ efficacia sunt ὄρυρα ac instrumenta. Visumq; fuit Deo verbum suum per S. Sanctum imprægnare, ut acciperet hanc divinam virtutem prolificam, & fieret λόγος ἐμψυχος, Jacob. 1: 12. non emphyteusei physica aut magica; sed tactica; per quam efficax est, non solum eventu, quem signat; sed & potentia, qua agit, Rom. 1: 16. (2) Est idem vivum effective, respectu vivificæ suæ opera-*

operationis. Verbum evangelicum dicitur potentia ad salutem omni credenti, & nos quoq; per id prædicatum, percipimus fidem, & salvamur, Rom. 10: 14. Act. 11: Similiter agit terrores verbum legale, dum conscientias gravat & sanciat. *Vis exempla:* quam terribilis fuit vox Dei primis parentibus, Gen. 3: 8. An potuerunt Israëlitaë ferre vocem Dei, Deut. 4: 33. & quid expertus est Nebucadnezar, Dan. 4: 31. Contra, quam suavis fuit vox Dei, in transfiguratione Christi, Joh. 8: 28. seqq. & annon per verbum Christi, incaluerunt animi discipulorum, euntium ad Emaus, Luc. 24: 32.

IV. Qua Operationem. Verbum Dei est efficax ad producendos spirituales actus: ergo non tantum vivit & operatur, sed & excellentes ac spirituales edit operationes, sicut testantur dicta jam modo in exegeſi allegata. Neq; tamen unicuiq; propositioni divinæ, ceu causæ proximæ ac adæquatæ, tribuendus est ultimus & supremus gradus in actibus spiritualibus: sed sicut verbum operatur ex Dei *τῶν* & benigna dispositione, sic per quamlibet propositionem divinam, efficitur solum actus is, qui ex Dei voluntate & ordinatione, illi propositioni destinatur & debetur: Agnosce hic consilium divinum, quo Deus voluit nos ex verbo per concatenationem actuum omnium, salvare, & sic *per prædicationem Evangelii salvos facere.* 1. Cor. 1: 21. De prædica quoq; ejus liberalitatem, qui admittentibus ordine actus priores, posteriores nunquam denegat, sed semper nos pluribus & majoribus ornat, juxta promissionem suam; *habenti dabitur,* Matth. 13: In specie circa operationem verbi observa (1) *Quomodo id penetrat ad intima quæq;*, atq; sic tam potest omnia instrumentaliter agere, quam sufficit peragendis singulis: tantum roga, *at tu tin Anda och Kräfte / wårdes til ordet gifwa: hör of milde HERRS Gudh!* (2) *Quomodo est gladius Dei,* secans modestos, ut locus sit gratiæ, Rom. 3: 21. improbos autem penitus con-

ficiens: nimirum ut inimici validioris strictus gladius est adversario in signum iræ, & quem formidare tenetur; sic est verbum Dei à Deo abalienatis propositum in signum iræ, quam non vanam judicabunt: & ut strictus ille commerentem lædit; sic improbos perdit ac conficit Dei verbum. (3) *Quomodo est discretor & judex cogitationum; quia divinum est.* Ne igitur quicquam ei intenderis subducere: ipsum judicariam dat decisionem, Joh. 5: 45, ipsum condemnat, Deut. 27: 26. Tu vero semper memento, quod *gloria magna est sequi Deum, & longitudo vita, ut accipiaris ab illo*, Syrach. 23: 35.

III PARS

De commonefactionis hujus conclusionem generali;
nec non digressionem ad officium Christi Sacerdotale.

EXPLICATIO.

Verf. 14. Proponitur illa conclusio generalis: *teneamus professionem* &c. Eam intelligit professionem, quam ille de Christo tradiderat, & quam illi ex ejus doctrina hauserant. Sicut ipse palam fuerat Christum concionatus, Rom. 1: 16. sic voluit ut illi similiter eum plenis animis confiterentur, Luc. 12: 8. conf. Joh. 14: 21. Ceterum quia Christus in oculis eorum, ac totius mundi, olim abjectus adparebat, plenumq; porro molestiæ erat, ærumnas & calamitates hujus seculi subire ac perferre: ne *vel ibi laboreremur sinistris de Christo conceptis cogitationibus; vel hic sub malis succumberemus*; contra utrumq;, propositis certis medelis, nos juvat ac munit Apostolus fideliter; ostendens tam Christi Majestatem adversus periculum prius, quam infirmitatis nostræ in Christo auxilium, adversus periculum posterius. Duo ergo hic tradit; nim.

1. *Majestatem Christi describit, dum verf. 14. pontificem magnum eum dicit.* Ante eum contulit cum Mose, in prophético

tico opere: nunc cum Arone incipit eum conferre. Utro-
 biq; vero dat Christo prærogativam, sicut utroq; erat dignior,
 Matt. 17: 2. Fuit Aron insignis pontifex; est tamen Christus
 illo præstantior; quia (1) Christus est excellenter *Pontifex Ma-*
gnus; qualis non fuit Aron: imo, Christus fuit *Pontifex Sanctus*
 Heb. 7: 26. & *pontifex in æternum*, Heb. 6. 20. qualis non fuit
 Aron. (2) Dum Aron tantum intravit in sancta manu facta;
 jam Christus *penetravit in cælos*, per illa manufacta ante ad-
 umbratos, conf. inf. 9: 24. (3) Non mansit Christus in sta-
 tu suo humili, sicut Aron; sed *cælos pertransiit*, ut ad dexte-
 ram Dei confedens, interpellando pro nobis, etjamnum sa-
 cerdotis partibus defungatur, Rom. 8: 27. & inf. 8: 1. (4)
 Quia Christus est Dei Filius unigenitus ac unicus, ex substan-
 tia Patris per æternam generationem genitus, Psal. 2: qualis
 filius non fuit Aron, aut leviticorum quisquam alius?

II. *Infirmis nostris succurrit*, vers. 15. dum pontificis erga
 nos propensum animum exprimit, nè nos majestatem ejus
 intelligentes, ac cum aliis recordantes, quomodo ancipi-
 tem suum penetrantem gladium, contra peccatores vibret,
 sup. vers. 12. de auxilio desperemus. Sed h. vers. 15. nota (1)
Quod per infirmitates, intelligit non tam dolores, nostrasq; pas-
 siones, sicut fit 2. Cor. 12: 5. sed cum primis carnis infirmi-
 tates in renatis adhuc residuas, prout quoq; eadem intelli-
 guntur, inf. c. 5: 2. & 7: 28. & quæ tales sunt, quæ à spiritu
 sublevantur, Rom. 8: 26. (2) *Nota quomodo Christus nobis ad-*
huc compatiatur? non quasi in statu gloriæ passionem aliquam
 adhuc ille perferat, sed quod in diebus carnis, qui per o-
 mnia nobis factus fuit similis, est tentatus, atq; ita passiones
 nostras edoctus, non potest non misericordia & condolen-
 tia motus, ad succurrendam nobis accelerare, Heb. 2: 18.
 (3) *Quid significat h. l. tentari?* non significat carne sollicitari
 ad peccatum; talis quippe sollicitatio longissime à Christo
 absuit,

abfuit; qui caruit peccato, inf. c. 7: Sed significat luctari cum aduersitatibus, quæ tentationis seu probationis causa, solent immitti; conf. Luc. 22: 28. *Estq; Christus tentatus per omnia* tentationum genera, quæ ei accidere potuerunt à diabolo & mundo, *juxta similitudinem nostram*, qui omnis generis calamitatibus premimur, probamurq;. *Sine tamen peccato tentatus; vel* quod ad peccata non sollicitaretur more nostro: *vel* quod nulla tentatio ipsum ad peccandum induceret, sicut sæpius pro dolor, nobis accidit. *vel* quod ut pontifex leviticus peccato non esset obnoxius, 1. Pet. 1: 19. restringitur itaq; hic particula universalis, quæ objectum tentationis paulo ante expressit; ostenditurq; Christum sic per omnia esse tentatum & probatum, ut tamen non sentiret mala nostra personalia, nec sciret carnis nostræ concupiscentiam, vel mala eandem consequentia, & bono gratiæ aduersantia.

Atq; eum talis sit conditio pontificis nostri, nimirum quod sit ille tentatus ut nos, & nobis compatiatur; hinc *vers. 16.* exhortatur ad confidendum illi, sperandumq; quod velit nobis succurrere. Adpellat vero eum *thronum gratiæ*: quod quemadmodum ille olim in V. T. residens super arcam fœderis in propitiatorio inter Cherubim, exaudiebat preces: ita etiamnum est nobis in propitiatorium propositus, Rom. 3: 25. atq; ad hunc thronum jubet nos advolare plena fiducia, & resectis oculis, ut ait Syrus, ad exprimendum confidentem animum. *illuc advolabimus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus apud patrem tempore opportuno*, tam ubi in afflictionibus sumus constituti, 1. Cor. 10: 13, quam ubi alio tempore præsentis vitæ, bonis spiritualibus aut temporalibus indigemus, Matth. 11: 28. Psal. 34: 18.

QUÆSTIONES.

I. *Vers. 14. Annon hæc collectio de Filio Dei, ostendit de eodem, superiorem vers. 12: esse explicandum?* R. Hæc collectio non fit ex proxime

proxime præcedentibus, adpositis ut adpareret, per quandam digressionem; sed assumit ex cap. 3: vers. 7. de summo pontifice, & ita sermonem ad epistolæ scopum reducit.

II. Vers. 14. *An penetravit Christus cælos, ut ibi perficeret suum Sacerdotium, expediretq; quæ in terris absolvi non potuerunt.* R. In terris pro nobis consummavit sacrificium, semel se ipsum offerendo, Heb. 9: 22. Cælos vero penetravit omnibus hic defunctus, ut etiamnum pro nobis interpellaret, Heb. 7: 25. unde possumus cum fiducia eum adire, sicut jubemur, Heb. 4: 16.

III. Vers. 14. *Cum Christus penetraverit cælos secundum naturam humanam; an igitur nunc secundum illam, non est in cælorum aliquo; vel hac penetratione ad intima cælorum sic pervenit; sicut olim pontifex ad intima in sanctis sanctorum, penetravit?* R. Sunt qui ita colligunt, ut videre est apud Estium h. l. Sed tamen (1) ut articulus Ascensionis cum articulo Sessionis ad dexteram Dei, non pugnat: sic ascensionis terminum ad quem, constituimus non intima cælorum, nec ∞ supra cælos; sed ipsam Dei dexteram majestaticam & omnipotentem, ad quam Christus nunc gloriosus sedet. (2) quamquam itaq; in beatorum ∞ secundum veri corporis modum, eum nunc esse non negamus: est tamen supra omnes cælos, & ad ipsam Dei dexteram omnipotentem erectus. (3) Unde penetrare h. l. non est sensu physico explicandum, ac si Christus visibilem cælorum machinam, distinctis orbibus variatam, transiens, alicubi extra illam circumseptus hæteret; sed explicandum est sensu scripturæ, quæ indigitat quod Christus per hanc penetrationem, est divinam gloriam ingressus. (4) Qui propterea dicitur *cælis excelsior factus*, inf. 7: 28. *ascendisse longe super cælos*, Eph. 4: 10. conf. inf. 8: 1. *Inst. Ut Elias est in cælum vectus, sic Christus.* R. Secundum conditionem naturalem est Christus sicut Elias, in cælum vectus: ast secundum actum personalem deposita forma levili, cælos omnes penetravit. *Inst. Annon verbum penetrare arguit ejus à terris absentiam.* R. Ut phrasis *penetrare nubes*, de oratione afflictorum, Syr. 35: 21. non infert à nobis procul distitam aliquam rationem objectivam: est enim Deus prope afflictis se invocantibus, Psal. 145: 18. Sic nec hæc phrasis, *penetrare cælos*, est ratione physica explicanda, sed metieada juxta omnipotentem & omnipræsentem rationem subjektivam.

IV. Verſ. eod. *An tranſeunti Chriſto ceſſerunt cœli?* R. Sic de modo poſſunt ſpeculati, qui rationem ſuam ſequentes, adſcenſionem phyſicam cupiunt ac urgent. nos qui ſcripturam ſequimur ducem, credimus glorioſum ejus corpus, qua ſortem naturalem penetrariſſe cœlos, qua conditionem vero perſonalem, credimus illum penetrariſſe ſupra cœlos, non ut aliquos præſentia ſua relinqueret deſtitutos; ſed ut omnia, etjam cœlos ipſos, haberet ſibi ſubjectos, Eph. 4: 10. 1. Pet. 3: 22.

V. Verſ. 15. *Si per omnia in tentationibus Chriſtus eſt nobis aſſimilatus; jam non localiter fuit ductus in pinnam templi, cum nos illuc non feramur.* R. Suſcepit Chriſtus communem ſortem fragilitatis noſtræ, non vero ſingularem meæ aut tuæ. (2) Sed tamen ut præter communia mala, nos etjam cum ſingularibus conſictamur; ſic habuit etjam Chriſtus quædam ſibi peculiaria, ut quod ſanguinem ſudaret, Luc. 22: 44. & 40. dies jejunaret, Matth. 4: 2. (3) Sit etjam ille locus, *ſuper pinnaſ templi*, Chriſto ſingularis: ut enim ſalvo pronuntiato Apoſtolico, ille habuit paſſiones præ noſtris, & gravioreſ & longioreſ; ſic potuit etjam alibi quam nos, eſſe tentatus, cum ad hæc exteriora Apoſt. h. l. non attendat.

VI. Verſ. 15. *Annon hæc peccati carentia, que de Chriſto prædicatur, eſt reſtringenda ad certam peccati ſpeciem, nimirum impatientiam, hoc ſenſu: quod eſt Chriſtus omnibus modis tentaretur ac affligeretur, fuit tamen patiens in omnibus.* R. Sic poteſt & debet reſtringi, ſed non ſolum aut excluſive: quandoquidem ἀναγορεύων ſe præbuit non tantum qua exitum malorum, per juſtam patientiam, ſed & qua circumſtantias alias, per cœteras ſuas virtutes, quibus, ut non peccator ac impeccabilis, per naturam ac gratiam fulgebat.

VII. *An propoſitio: adæamus thronum gratiæ, ſit metonymica, equipollens huic: Chriſtus ſignificat thronum gratiæ?* R. (1) Thronus gratiæ Moſaicus, qui fuit inter cherubinos, ſuper arcam fœderis, jam pridem deſierat: E. ad eum nec nos poſſumus remitti, nec annihilatum & deſtructum poteſt Chriſtus ſignificare. (2) Si Chriſtus illum ſignificaret, jam non is fuiſſet typus Chriſti, ſed Chriſtus foret (*inverſo ordine legali, qua præceptum; & naturali, qua exiſtentiam*) typus ejus. (3) Quid igitur? Chriſtus eſt revera thronus

chronus spiritualis gratiæ, per corporalem typice ante adumbratus: adeoq; sicut ad corporalem olim currebant Israëlita, & in typo juvabantur; sic nunc curramus nos ad spiritualem, qui re ipsa & per se nos curabit abunde, Joh. 6: 35.

OBSERVATIONES.

DE CHRISTO.

I. De Persona. (1) *Christus est verus Deus*; quia est filius Dei, patri ὁμοῖος; vers. 14. Hæc docent te *mediatorem habere*, 1. *sufficientem* portando infinito oneri iræ divinæ, sub quo omnis alia persona succubisset, Psal. 46: 2. 2. *Valentem* restituere imaginem amissam, Eph. 4: 1. Cor. 15: 48. 3. *Potentem* omni loco, quovis tempore, preces nostras audire. (2) *Est etiam verus homo*: quia est nobis per omnia similis; conflictatus cum infirmitatibus nostris, & pontifex noster magnus factus. Hæc te 1. docent Christum veram victimam esse; si enim verus homo non fuisset; pati ac puniri pro nobis non potuisset. 2. Consolantur te, quod fratrem habes in cœlis, & pontificem, qui suum populum ad se vult transferre, Joh. 10: 28.

II. De Officio. Est is *pontifex noster*, vers. 14. E. more pontificis (1) *offerit victimam* pro peccatis nostris, Heb. 5: 1. (2) *Intercedit pro populo*, sicut quoq; Christus fecit Joh. 17: 20. imo, ut in hac vita cum valido clamore & lacrymis oravit, inf. 5: 7. sic etiamnum in cœlis intercedit gloriosus, & dignitate personæ, & vigore sacrificii sui, (3) *Regit suam politiam*. Sacerdotes Levitici sustinebant aliquam partem gubernationis politicæ: sic contra hostes spirituales defendit Christus suam ecclesiam, quod potest facere; quia ingressus cœlum, ad dexteram Dei, i. e. potenter omnia gubernat ac moderatur.

III. De Officii Sacerdotalis Fructu. *Christus paravit nobis* (1) *miseri cordiam*. Si Christus non venisset, per justitiam Dei fuisset in nos grassata ejus ira, & nos sine misericordia fuissetis mortui, Gen. 2: 17. postquam vero Christus se victimam pro

nobis obtulit, sedata est Dei ira, & nos misericordia donati, Psal. 103: 9. (2) *Paravit nobis gratiam.* non tantum iram patris avertit; sed & fecit, ut ille nobis favere inciperet, conf. 2. Sam. 7: 14. (3) *Paravit nobis opportunum auxilium,* h. e. effecit, ut Deus ipso facto inciperet nos, qua animam ac corpus, in omnibus adversitatibus juvare, Psal. 33: 18. seqq. *Sed quibus hosce suos fructus confert;* 1. iis, qui retinent professionem, vers. 15. E. confitete eum coram hominibus, ut &c. Matth. 10: 32. 2. iis, qui ex fiducia accedunt ad thronum gratiæ, vers. 16. E. ut filii sine metu rogant suos parentes; sic nos libenter ac sine metu invocemus Deum, Psal. 32: 10.

IV. De Ejus Adscensione. Hic consideras *qualis fuit ejus adscensio.* & *quomoda ab adscensionibus aliorum differt.*

In priori notas (1) terminos adscensionis. Terminus à quo, fuit mons oliveti: terminus ad quem, fuerunt cœli: dicitur enim quod *penetravit calos.* ubi per cœlos non intelligitur locus aliquis creatus, extra hunc mundum visibilem, sicut ex Scholasticis sibi imaginantur zvingliani: (creatum cœlum est in loco; Christus autem ut verus Deus, & in hypostasi divina illocali, non est in loco; neq; est dextera Dei, ad quam Christus conscendit, in loco, conf. Menzer. in *AntiMare.* Creati cœli porro pereunt, Psal. 102: 27. Christi autem cœli manent in æternum) Sed intelligitur hic per cœlos, *sedes Majestatis divina,* ubicunq; se ipsam illa exerit, apud electos, vel extra mundum. quamquam itaq; in historia, Act. 1: 9. videatur nubes, quæ recepit Christum, poni pro termino ad quem: neutiquam tamen ibi subsistimus; sed in cœlum fuisse eum assumptum credimus, ex Marc. 16: Act. 1: 11. *Adscensionis itaq; verus & totalis terminus ad quem, fuit cœlum,* non definitum & circumscriptum, sed id quod oculus non vidit &c. Esa, 64: 4. (2) *Notas adscensionis modum,* qui consistebat in *penetra-*

tratione. neq; tamen putabis hanc penetrationem transitum complecti, per visibilem colorum machinam: tali quippe penetratione Christus tunc neutiquam opus habuit. Ut igitur Deus captum nostrum se accomodans, dicitur *de cælo prospicere*, Psal. 14: 2. *de cælo descendere*, Exod. 19: 18. & *per nubes preces nostras admittere*, Thren. 3. omnia sine ratione physica, & ad singularem suum actum indigitandum: sic hoc loco *penetrare cælos*, exclusis conditionibus naturalibus, significat quendam peculiarem actum divinum; nimirum sublimiorem fieri cælis, & divinam capeffere gloriam. Non igitur nos introducimus imaginariam aliquam, vel tropicam, adscensionem aut disparitionem; sed recipimus realem, visibilemque corporis Christi adscensionem & penetrationem in cælos, qui increati sunt, extiterunt ab æterno, & omnipotenti dominio sunt pleni.

In posteriori membro, differentia scilicet inter adscensionem Christi & sanctorum aliorum, consideras (1) Sedem receptionis. Sanctorum corpora sunt in aliquo *ubi* vel ubi cœlesti, sive sit illud intra mundum hunc creatum, sive sit extra, non est nostrum nunc scrupulose inquirere. at quamquam Christus hoc idem in adscensione sua adiit, beatus ibi sanctos visibili sua presentia: & quamquam etiamnum quoad veri corporis modum, ibi cum iisdem conversatur: est tamen longe sublimius cœlum, ad quod Christus evehebatur sua adscensione: tale nimirum, quod non debet ratione loci mensurari, sed solum per divinam Majestatem definiri, conf. sup. c. 2: (2) *Consideras translationis modum.* Sancti translatione sua desinunt in hisce terris præsentem esse: sed vero Christus translatione sua tantum visibilem præsentiam nobis subduxit. quamquam igitur à nobis adscendit; est tamen adhuc illocaliter & invisibiliter omnibus creaturis præsens, Matt. 28: (3) *Notas adscendendi virtutem.* Sancti adscendunt virtute aliena; Christus autem

autem virtute propria. (4) *Notus adscensionis fructum.* Sanctorum adscensio parum aut nihil nobis prodest, Apoc. 6: Christi autem adscensio est facta propter salutem nostram; adscendit ut ibi esset thronus gratiæ, vers. 14. & ut ibi pro nobis interpellaret, Rom. 8: (5) *Consideras ascensionis subsequendam gloriam.* 1. Sancti accipiunt gloriam: Christus vero tantum gloriæ usum intravit, 2. Est sanctorum gloria non infinita, sed pro mensura creaturæ, finita hypostasi subsistentis. At gloria Christi, & cujus usum ille sua adscensione recepit perennem, est infinita & sine omni mensura; confedit quippe ad dexteram æterni patris, quæ est dextera Majestatis & potentiæ, Luc. 22: conf. sup. c. 19: unde sicut hæc majestatis gloria nusquam est inclusa, nusquam exclusa; ita Christus ad illam sedens, nullibi vel inclusus est, vel exclusus, Matt. 28.

CAP. V.

JAM ad officium Christi Sacerdotale ex professo ut ajunt, descendit Apostolus, id in hoc & capitibus sequentibus, fuse satis explicans.

Partes duæ sunt: I. Explicat Sacerdotium Christi, per collationem ejus cum Sacerdote Levitico, ad vers. 11. II. Reprehendit supinam Hebræorum negligentiam ac oscitantiam, qui hanc rem (sacerdotium Christi, momentum salutis sœ) turpiter non minus, quam periculose ignorarunt.

I. PARS

De Sacerdotio Christi.

EXPLICATIO.

Paulo ante adpellavit Apostolus Christum, *pontificem magnum, qui penetravit cælos, ut ibi esset nobis thronus gratiæ.* poterant igitur inde Hebræi facile colligere, cessasse nunc sacerdotium leviticum; sed quia in hoc doctrinæ capite prorsus rudes fuerunt, sicut eis exprobrat cum reprehensione: itaq;

ut hanc

ut hanc rem summe salutarem assequerentur, nunc in instituto suo pergite, & per collationem cum Sacerdote levitico, Christum esse nostrum Sacerdotem pulchre ostendit: ita vero Christum cum Sacerdote levitico confert; ut tamen eum mox ac passim alibi, eidem longe præponat. Ceterum in hac comparatione notetur.

I. SIMILITUDO, quam urget

I. *Ex natura vocationis*, vers. 4. Omnis vocatio sacerdotalis debet esse divina: nemo enim hunc honorem (sacerdotalem) sibi ipse sumere debet; sed is demum legitimus est, qui à Deo est iuste vocatus: qualis legitimus sacerdos erat Aron, quippe qui à Deo rite fuit vocatus, Exod. 38:1. seqq. Similiter est christus divinitus vocatus: nam ipse semetipsum non glorificavit, ut fieret pontifex, vers. 5. Sed à Patre, qui eum per æternam generationem genuit Psal. 2: est ad hunc honorem glorificatus. Hanc adplicationem veram esse nimirum quod christus, æque ac Aron, ad sacerdotium suum, divinam haberet vocationem, probat gemino V. T. testimonio. Prius vers. 5. est ex Psal. 2. 7. desumptum, ostenditq; Christum à Patre ab æterno genitum, ordinatum esse & constitutum super montem Sion: non quod finis generationis illius esset officium sacerdotale; sed quod huic tam arduo & difficili muneri, nemo præfici potuit alius, quam qui ab æterno à Patre esset genitus. Posterius vers. 6. est depreptum ex Psal. 118: 4. & exprimit quomodo æterni Patris Filius, etiam sit æternus pontifex. Tu vero observa circa hoc posterius testimonium, (1) Quod psalmum citet, non quoad singula verba, sed quoad sensum, cum 70. interpretibus, qui similiter præterito caractere verborum, ad solum sensum attendunt. (2) Observa, hanc & εἰς dici similitudinem inf. cap. 7: 15. in Psalmo autem efferri per voces: *juxta verbum meum*, conf. Eccl. 3: 18. & 8: 2. vel ut vertunt alii: *juxta rem, negotium ac constitutionem*

meam. esseq; hunc psalmi sensum: tu es sacerdos in æternum secundum verbum *meum*, vel per ordinationem *meam*; vel super negocium *meum*, sicut quoq; fuit Melchisedec, de quo inf. c. 7.

II. *Urget comparationis similitudinem ex natura functionis sacerdotii levitici*, de qua hæcce argumenta hic proponit. (1) *Vers. 1. Sacerdos leviticus fuit constitutus mediator inter Deum & homines*, qui propter peccatum diffidebant, Esa. 59:2. E: quia Deus fuit summopere læsus, & justitia Dei mortem peccatoris æternam postulavit, juxta irrevocabile dictum, Gen. 2: 17. hinc debuit sacerdos mediatoris partibus susceptis, *intercedendo, deprecando, ac offensis satis faciendis* per dona & sacrificia, typos sanguinis Christi; nos offendentes, offenso Deo reconciliare. atq; id fecit ille tanto impensius, quanto arctius hominibus, ex quibus erat sumptus, fuit sanguine & societate malorum conjunctus: optime enim is novit afflicti sortem, qui ipse mala est perpeffus: *non ignara mali miseris succurrere disco*, recte dicit Dido *Æneid. 2. Similiter Christus vers. 7. constitutus mediator inter Deum & homines*, in diebusq; carnis nos offendentes Deo reconciliaturus (pro carnis suæ nobiscum communitate; ut & sensus malorum nostrorum participatione) ex commiseratione, pro nobis intercessit & satisfecit. Interposuit se precibus & supplicatione ad Patrem cœlestem, Joh. 17: 9. Luc. 23: 34. deprecatus est nostram malam causam cum clamore & multis lacrymis, Luc. 22: 44. sicut quoq; pro nobis satisfecit per mortem suam pretiosissimam, 1. Pet. 1: 18.

In hac autem comparatione notas (1) *Circa propositionem, vers. 1. de Arone*, quod *æ. per dona* intelliguntur sacrificia incruenta, quibus judæi se gratos erga Deum declarabant, utpote *vel fructus terra* ad cibaria sacrificia adhibiti, ut oleum, libamina, primitiæ &c. *vel dona spontanea*, ut aurum, argentum &c. (2) *Quod per sacrificia* intelliguntur, vel animalia ad

ad sacrificium mactata; vel ipsa sacrificia, alias expiatoria dicta, & ex præscripto legis debita. (2) *Circa applicationem vers. 7. notas α. Non fieri respectum ad versum 2. & 3. & 4. antecedentes; quandoquidem ibi intelliguntur infirmitates carnis & propria pontificis peccata, quæ ad Christum nullatenus possunt vel debent accommodari. β. Notas per carnem non intelligi corporis nostri substantiam, qualem Christus etiam post resurrectionem habuit, Joh. 20: 27. Luc. 24: 39. Sed per eam intelligi carnis corruptionem ac mortalitatem, quam etiam nos in resurrectione exuemus, 1. Cor. 15: conf. Psal. 56: 5. & 40. 6. 78: 39. γ. Notas per carnis dies non intelligi tempus hocce præsens, sed illud quo Christus inter nos mortalis versabatur, esuriens, sitiens, defatigatus, &c. imo, excepto peccato, obnoxius nostris omnibus miseriis ac infirmitatibus, 2. Cor. 5: 16.*

Ex quibus omnibus hunc elicis sensum: Christum obtulisse preces etiam pro se, sed non more veteris pontificis, ut expiarentur ejus peccata (nulla propria habuit) verum ut liberaretur ex angustiis summis, in quas nostri causa fuit conjectus, Psal. 22: Esa. 53: Horruit Christus mortem, juxta humanæ suæ naturæ conditionem, & trepidationis signa non vulgaria ostendit, cum sederet ad mensam cum discipulis, ut & cum esset in horto ac cruce: mortem vero ipsam non est deprecatus: nam ad eam pro nobis perferendam, in mundum venerat. Ad decretum igitur divinum quod mortem imperavit, voluntati Dei se subjecit, dicens: *non mea sed tua voluntas fiat, Matt. 26: 29.* Sed tamen nè à sensuræ divinæ, & horrore mortis absorberetur, & ipse petiit, & ab Angelo est corroboratus: non quod se non iri absorptum, ipse nesciret, aut quod humanam suam naturam per comunicatas à divina vires infinitas, illis ferendis sufficere desperaret; sed ut à Deo juvaretur, nè in summo exinanitionis gradu, ipse potentiam

suam exerere maturaret. Atq; hinc prolati precibus & supplicationibus Luc. 22: 42. seqq. exauditus est; non tantum *pro ea reverentia & pietate*, quam ut homo, recte erga Deum exercebat, uti volunt multi; sed & *exauditus & quoq; liberatus est ab omni metu*, quo ante juxta sortem humanam erat percussus; adeoq; sicut sapius ante, citra usum suæ potentiaë est adjutus & refectus à variis molestiis: sic etjam nunc cum exinanitio usum Majestatis suspendere ac retrahere maxime admoneret, falsis precibus adversus imminencia mala, est à Deo per Angelum, consolatione erectus ac corroboratus, Luc. 22: 43.

(2) *Vers. 2. Vetus pontifex juste condoluit peccantibus ex ignorantia & infirmitate*; ipse enim iisdem navis ac erroribus erat obnoxius; atq; hinc tam pro illis, quam se, & sua infirmitate, semper sacrificavit, juxta præceptum Lev. 4: 3. *Similiter vers. 7. nobis nostrisq; peccatis omnibus condoluit Christus*, sicut indicio sunt *lacryma*, quas fudit acerbis; & *clamor*, quem in cruce sustulit validum. *secutusq; est ille felix eventus*, ut quem admodum sacrificiis se populumq; suum purgavit pontifex vetus; sic suis sacrificiis (*lacrymis, clamore, morte*) Christus nos miseros purgavit ac redemit: *factumq; est vers. 8.* ut quanquam Filius Dei ipse esset, & ab æterno à Patre genitus, scirer abunde per omniscientiam, molestissimum esse, obsequium de redimendis nobis per passionem & mortem, decreto divino sancitum, explere; re tamen ipsa, ac per experientiam, in suis passionibus gravissimis, difficultatem ejus ipse quoq; sensit ac probavit. Sequitur.

II. DISSIMILITUDO.

Quam inter utr. T.º pontifices in hac capitis parte, insinuat sparsim. docet Christum non tantum cum levitico esse conferendum, sed ei quoq; longe præferendum.

I. Ratione ordinis, vers. 1. Leviticus sacerdos sumebatur ex hominibus, & erat ex ordine Aron, vers. 4. id quod duravit usq; ad

ad tempora Hyrcani: sed vero postea ex quo Herodes Dynasta Chalcidis, defuncti Agrippæ frater, petiit à Cæsare potestatem in templum & sacrum ærarium, nec non jus eligendorum summorum pontificum; & hæc omnia etiam posteris suis impetravit, translatus est pontificatus non modo ad alias tribus, sed etiam expositus, undecunq; essent, pessimis quibusvis, modo pecunia illum emere possent, Joseph. lib. 20. Antiq. c. 1. id quod cultui sacro post exhibitum Christum, juxta statuta Mosaica, non nocuit: fuerunt enim Levitici Sacerdotes Christo exhibitio, abrogandi, sicut quoq; nunc permittente Deo, per Herodem ex ordinaria sua sorte deiciebantur. Christus autem est ex ordine Melchisedes, conf. inf. c. 7.

II. *Ratione constantis vocationis Christum præfert. Leviticus assumebatur ex hominibus, vers. 1. Christus vero à Deo est cognominatus, vers. 10. conf. Psal. no: 4. imo, ut est Sacerdos cognominatus à Deo, sic quia Dei dicere est facere, est quoq; à Deo Sacerdos factus: & ita manet verum, quod non glorificavit semetipsum, sicut scripsit Apostolus vers. 5.*

III. *Ratione qualitatis. Leviticus fuit circumdatus infirmitate, vers. 2. At Christus tantum didicit obedientiam, vers. 8. Non ignoravit Deo obediendum esse, & voluntate Dei perferendas esse istas omnes passiones: quare dixit; baptismo me baptizari oportet, & quomodo constringor usq; quo perficiatur, Luc. 12: 50. sed tamen patiendo re ipsa expertus est, quid sit obedire Deo; καὶ ἠκούσθη ergo fuere illi καὶ ἠκούσθη, ut scribit Isocr. ad Demon.*

IV. *Ratione objecti. Leviticus non tantum pro populo, sed etiam pro se ipso offerebat victimas, vers. 3. conf. Lev. 4: at Christus non pro suo aliquo peccato, sed ut liberaretur ex angustiis, sanctus & inculpatus preces fudit, vers. 7. sicut quoq; tantum ad nos redimendos innocens mortem subiit, vers. 9.*

V. *Ratione Efficacia. Sacerdos Leviticus purgavit suo modo populum*

gularum suarum, nimirum in umbris & figuris: oportebat offerentem victimas, respicere ad sacrificium Christi, & in illo respectu Deum unice placabat, sicut contra ubi ille respectus abfuit, victimæ Deo displicuerunt, Esa. 66: 3. Christus vero quoad pretium ac modum, nos purgavit perfecte; unde exclamare potuit, *omnia esse consummata*, Joh. 19: 30. Ipse igitur per passiones in gloriam adductus, est *auctor salutis aeternæ factus*, Heb. 2: 10. conf. hic vers. 9. perfectam quippe undiquaque; & omnibus numeris absolutam victimam semetipsum, pro peccatis mundi obtulit, 1. Joh. 1: 2.

VI. Ratione Dignitatis. Sacerdos Leviticus tantum fuit salutis minister, nimirum constitutus in his, quæ apud Deum aguntur, vers. 1. At Christus est salutis causa & Dominus, vers. 9. Salutem n. nobis promeruit & dedit; & sic est noster Salvator, ratione & meriti & efficaciam, Phil. 3: 14. Eph. 2: 15.

QUÆSTIONES.

VI. Vers. 1. *Cur offerebantur sacrificia pro peccatis, cum illa non possent peccata auferre*, Heb. 10: 11. R. Sacrificia expiabant non per se; sed sub ratione typi, quatenus adumbrabant Christum, qui se obtulit Deo in odorem bonæ fragrantiam, Eph. 5: 2.

II. Vers. 1. *An dantur plures mediatores?* R. Typici, non veri; & typici illi olim expiabant, non per se, sed sub rationem typi; unde offerebant dona, sed non sua; & immolabant, sed non se ipsos.

III. Vers. 1. *Sed danturne adhuc tales?* R. (1) Evanuit umbra accedente corpore. (2) Ut tamen scias non nostros Sacerdotes modernos comparari cum Christo, addit: *Summus Sacerdos*; qualis non est nostro tempore quisquam, sepulta Synagoga, conf. D. Chemn. Exam. part. 2.

IV. Vers. 2. *Si Christus circumdatus fuit infirmitate, jam pro se debuit solvere?* R. Solvit Christus pro sua infirmitate culpabili; sed ut illa non fuit inhærens, sic nec pro suo quoquam inhærente solvit, 2. Cor. 5: 21.

V. Vers. 4. *Si nemo sibi sumet honorem, quomodo tum in casu necessitatis, possunt femina baptizare?* R. (1) *Sumere sibi* h. l. est

extremaria & levi causa, id invadere; quod non fit sub casum necessitatis. Hinc (2) exemplo religiosarum foeminarum, in casu necessitatis, probatur & adprobatur foeminarum baptismus: Levitas vero temeraria nullo pacto, nullo exemplo, adprobatur vel probatur.

VI. Vers. 4. *An ut Aron à solo Mose sine consensu populi, constitueretur Sacerdos; sic etjamnum sine populi consensu vocabuntur ministri?* R. (1) Moses non constituit vel vocavit Aronem; sed solum illum declaravit, à Deo immediate esse vocatum. (2) E. adverbium sicut h.l. non infert similitudinem declarationis numericæ, quæ impossibilis est, Mose extincto; nec infert convenientiam modi, cum à Deo immediate nunc non vocemur: sed ponit identitatem causæ, præcis conditionibus aliis; quod sicut Aron fuit à Deo vocatus, sic nos etjamnum, licet mediate, Sacerdotes constituimur à Deo, Act. 20: 28. (3) Neq; h. l. ponitur vocatio Aronis nobis in exemplar & regulam; sed præpositæ assertioni, *quod omnis vocatio debeat fieri divinitus*, exempli causa additur. unde scribitur: *quemadmodum & Aron*, vers. 4.

VII. Vers. 4. *Annon sicut olim in populo Judaico, ita etjamnum in ecclesia divinitus instituta, est Hierarchia?* R. (1) Servatur adhuc in ecclesia, inter ministros Dei, certus ordo; unde alii reliquos ordinant, nec debent illi sine potestate horum publice docere. (2) Si per Hierarchiam intelligitur papalis illa, ex Pontifice, Cardinalibus, Episcopis &c. confuta; & si per Sacerdotes intelliguntur Missatici; sicut neutrum videmus posse ex h. l. erui; ita utriusq; sufficientem & solidam probationem ex scriptura, recte desideramus.

VIII. Vers. eod. *Videtur de pontificatu levitico agere; an igitur tutum ab illo concludere de ministerio Ecclesiastico, cum inter utrumq; sit magna differentia.* R. (1) Locutio Apostoli est generalis: unde probandum est, ad pontificatum leviticum eam restringi debere. (2) Sit etjam Apostolum h. l. agere de pontificatu; & manet tamen nostrum argumentum, quod hoc est: *qui constituitur super negocia divina, is à Deo habet vocationem*. E. quemadmodum super divinis eam habuit Aron; ita etjam nos eam habere convenit. *Inst. frustra nos nunc querimus vocationem divinam, postquam cessaverat in Levitis*. R. Non cessavit ut adparet, ex 1. Tim. 4: 14. & 5: 22. 2. Tim. 1: 6.

IX. *Loquitur de Sacerdotali honore, non labore.* R. (1) Ad laborem.

atrumq; vocatus fuit Aron, & habuit ille honorem propter laborem. E. (2) Subordinata non sunt sibi invicem opponenda: & propter vicariatum Dei, est etiam *τὸ* docere, in se honorabile. *Inst. Labor est molestus, & ita patet unicuiq;: bonos vero singularis.* R. Quod labor sit molestus, id à parte docentis est, per carnis impatientiam: à parte vero docendorum, per ac propter eorum contemptum. *Inst. Annon licet se submittere laboribus?* R. Licet, sed privatis non publicis, qui propter ordinem, volunt certam vocationem. *Inst. Annon peccat qui laboribus se subducit, & tamen est aptus ad docendum, ac inculpate vitæ.* R. Hæ virtutes commendant subjectum; sed tamen usum earum qua rationem publicam, antevertet vocatio divina, Rom. 10: 15.

X. Vers. 5. *Cur probat Apost. tam operose vocationem Christi ad sacerdotium?* R. Quia non erat ex familia Aronis; neq; ex tribu Levi, sed juda oriundus, Gen. 48.

XI. Vers. 5. *Annon Christus se ipsum exivit ad sacerdotalem dignitatem, cum verus Deus esset, patri ὁμοῦσι,* & eadem ac similia cum illo faceret, Job. 5: 19. R. (1) Loquitur Apostolus de Christo secundum humanam naturam, juxta quam est in hunc modum e-
vectus. (2) Etsi Christus cum Patre & S. Sancto, propter identitatem essentialis, ipse humanam naturam glorificaverit: tamen sicut Filius Dei per æternam generationem accepit à Patre naturam, sic quoq; gloriam accepisse dicitur. (3) Sunt hæ similesq; aliæ locutiones: *non veni à me ipso. non loquor à me ipso, &c.* explicandæ per condescensum ad captum nostrum: scilicet quod Christus suo arbitrio, vel absq; patris cœlestis vocatione, non quicquam fecit vel locutus est, sup. 2: 10.

XII. Vers. 5. *Si se ipsum non glorificavit; & nec super se edificavit ecclesiam?* R. Consequencia est nulla: & ideo se ipsum non glorificavit, ne suo ausu videretur quicquam solenne fecisse.

XIII. Vers. 5. *Quomodo verba de eterna Filii Dei generatione, possunt confirmare ejus vocationem ad sacerdotium?* R. (1) Verba illa: *Filius meus es tu*, sunt synecdochicæ accipienda, & ita conjungenda cum antecedentibus: *pete à me.* atq; hoc pacto pertinent ad pontificis officium; cum respiciant hominum æternam salutem. (2) Conjunguntur *persona & officium*, propter firmissimam perso-

ne hujus, & officii connexionem: nam quanquam persona hæc & officium à se invicem distinguantur; nunquam tamen à se divelluntur. (3) Fit hoc ad innuendam ejus vocationem, cum generatione, similiter æternam. (4) Sicut primogenitis ante institutum sacerdotium leviticum debebatur sacerdotii prærogativa, Gen 49: 2. sic occasione primogenituræ hujus æternæ, vocatio ad sacerdotium Christo non incommode asseritur & vindicatur. (5) Notatur ita officii Christi sacerdotalis eminentia. Cæteri pontifices vocabantur quidem à Deo; sed tamen fuerunt nudi homines, & sic tenuiores, quam qui realiter pro populo possent facere satis: Christus vero vocatus est, qui fuit æterni Dei æternus Filius, & ita par ferendo oneri, quo redemptio nostra constabat, 1. Pet. 1:

XIV. Vers. 5. *Psalms 2dus non agit de generatione æterna, cum videatur insinuare, quæ post adscensionem fuere facta.* R. Qui ab æterno est genitus, illè à patre est quoq; postea glorificatus: *contra Smalcium Phorin.*

XV. Vers. 5. *Annon Psal. 2dum Apostolus interpretatur de sacerdotio?* R. Adfert eum h. l. in descriptionem causæ; nempe quod is vocavit Christum, qui ab æterno eum genuit.

XVI. *Cur Sacerdotium Christi urget, ubi summus pontificatus erat asserendus.* R. (1) Christum sacerdotem adpellat æterni Dei Filium; unde sequitur, nec posse, nec debere ei quemquam præponi. (2) Confirmat Apostolus sacerdotium Christi, per sacerdotium Aronis qui summus fuit: & sic (3) nomen sacerdotis ex Psal. 110: 4. citatum, exponit per pontificis summi nomen, inf. vers. 10.

XVII. Vers. 6. *An ex voce τὰς εὐχὰς, pontificii evincant suum missificum sacrificium?* R. (1) Quid τὰς εὐχὰς hæc significet, vide Habac. 3: 11. Num. 1: 52. Prov. 31: 26. Judic. 5: 20. &c. (2) Usurpatur vox τὰς εὐχὰς nonnunquam in N. T. ut Luc. 1: 8. 1. Cor. 14: 40. Col. 2: 5. &c. sed nunquam pro ritu sacrificandi.

XVIII. Vers. 7. *An hic intelligantur preces in hortu fuscæ cum Christum ibi lacrymasse vel clamasse, non legamus?* R. Vix caruerunt illæ preces lacrymis, cum ex angustia cordis, excuteret sudorem sanguineum, & quanquam ibi non usq; adeo vocem sustulit; oravit tamen voce ita elevata, ut eum exaudirent discipuli, remotius.

tius stantes, qui quoq; postea precum formam nobiscum communi-
carunt. *Inst. In suis precibus est Christus exauditus.* R. Nec h. l. est Christus frustratus, petiit enim translationem calicis, non abso-
lute; sed cum divinæ voluntatis adnexa conditione.

XIX. Vers. 7. *An hic intelligantur preces in cruce, cum nec eis adjunctas fuisse lacrymas legamus.* R. (1) Ut illis precibus erat con-
junctus clamor, Matth. 27: 46. 50. sic probabile est lacrymis illas
fuisse auctas. (2) Probat id quoq; *verbum sacrificale, ἵεροσφαιεν.*
Ut igitur pontifex leviticus cum precibus sacrificia fecit: sic Chri-
stus noster pontifex cum precibus obtulit se patri in sacrificium,
1. Joh. 2: 2.

XX. Vers. 7. *Si obtulit preces secundum b. naturam. & secundum
eam est mediator.* R. Vera est hæc illatio; sed non sub sensu exclusi-
vo: ut igitur sola non obtulit; sic nec sola est mediatrix: *contra Piscat.*

XXI. Vers. 7. *An etjã pro se obtulit preces?* R. Ita; sed hæc precū
oblatio reflexiva, non fuit expiatoria, sed impetratoria. Dist. igitur
*inter actum oblationis precum politicum seu disponētem; & illius actum
physicum merentem ac urgentem:* hic sacrificialis fuit; ille non item.

XXII. Vers. 7. *An pro se oravit juxta legis obligationem?* R.
Non. Oravit vero (1) *respectu nostri*, ad naturæ humanæ veritatem
demonstrandam, *primum* ex hoc infirmitatis actu; & *deinde* ex il-
lius causa, perceptione doloris. (2) *Respectu sui*, per instinctum na-
turalem oravit: ut liberaretur illis angustiis. conf. Chrysoſt.

XXIII. Vers. 7. *An oravit pro mortuis ut salvarentur?* R. Est
falsa hypothesis pontificia.

XXIV. Vers. 7. *Si obtulit preces ut servaretur, jam se ipsum non
potuit servare.* R. Tunc non potuit, quia posse noluit, servi for-
ma profundissima velatus. *Duplex igitur est rō non posse:* alterum
simplex quod infirmitatis est; alterum *conditionatum* & dispensatio-
nis liberæ, conf. sup. c. 2.

XXV. Vers. 7. *An igitur sine precibus potuit se servare à morte?*
R. Ut Lazarum excitavit, & tamen preces Deo dedit, Joh. 11: 42.
sic servandi sui potentiam habuit, etsi preces ad Deum fudit. imo,
non tantum servandi sui potentiam habuit; sed quoq; *impossibile fuit
eum à morte detineri, Act. 2: 24.*

XXVI. Vers. 7. *Quid significat ἐυλάβεα b. loco.* R. **PRIMUM**
multi

multi ac presertim Calviniani, per ἐυλάβειαν intelligunt metum, quia (1) hæc est ejus significatio apud auctores profanos, Arist. lib. 1. Eth. c. 30. lib. 4: c. 3. Diod. Sicul. lib. 15. hist. conf. Glossar. vetus, nec non Favorinum. (2) Similis significatio occurrit in scriptoribus sacris, Act. 23: 10. &c. Ut & (3) Ecclesiasticis, Clemente Alex. Athan. Nazianz. &c. (4) Quod similiter vertat paraphrastes Syrus. (5) Quod in hanc versionem consentiant multi ex patribus, ceu Nazianz. de Filio Dei orat. 2. Cyrill. lib. de recta fide. & (6) Quod omnes contextus partes huic expositioni congruant. Atq; hi in precibus Christi dicunt duo fuisse: ἐυλάβειαν καὶ παροῦσιν ἰ. e. metum & mortis deprecationem: adplicantq; à metu Christum fuisse liberatum, quo fortiter patiēdo voluntatem patris expleret: sed non similiter eum auditum esse in mortis deprecatione, vide Calvin. Bezam, Tossan. Rivet. Chamier, &c. & conf. Scalig. in annot. DE INDE sunt alii, qui hanc versionem damnant, (1) quod non ἐυλάβεια, sed φόβος, inter passiones animi numeretur, & quod ita sint distincta. (2) Quod inepte aliquis dicatur exaudiri à metu: liberamur enim à metu, & exaudimur ab eo, qui liberat. (3) Quod in Christo non esset metus inferni, sed mortis. Atq; ita fere pontificii: ipsi igitur rejecta explicatione metus, ἐυλάβειαν interpretantur per cautionem & tranquillam declinationem mali. TERTIO vertunt nonnulli ἐυλάβειαν per reverentiam, sensumq; faciunt iidem talem: usq; adeo charus patri fuit filius: reverentia igitur in eum commotus pater, non poruit ferre, ut tam humiliter precaretur, sed statim ei concessit petita, conf. Bellarm. de Ch. 1. 4. c. 3.

Ita varie de hac voce loquuntur hic varii. Ac postrema expositio contra morem tribuit Patri reverentiam erga Filium, cum (1) utnotum est, reverentia sit minoris erga majorem. sicut quoq; (2) ἐυλάβεια in scripturis ponitur pro pietate erga Deum, Heb. 12: 18. Luc. 2: 25. Act. 2: 5. hanc itaq; postremam sub tali expositione, recipere non possumus. Neq; secundam & mediam acceptare possumus, propter exempla, quæ in explicatione opinionis primæ, sunt citata, & solide evincunt, apud commodos auctores, unum idemq; esse ἐυλάβειαν & φόβον; quod tamen tamquam inconveniēns, expositio media fundamenti loco supponit. Prima vero quamquam a secunda exceptionibus plerisq;

liberari potest utcumq; . nim. quoad *inst. primam*, per sua exempla quoad *secundam*, de incommodo (exaudiri à metu) per similes in scriptura locutiones, Psal. 22: 22. Jer. 26: 9. Psal. 30: 4. tamen quia illa *prima* (1) *metum inferni ponit in Christo*, cujus ille erat expertus. & (2) *præter scripturam, cum Socino, ut vulgo scribitur, infert consequenter Christum etiam sibi aliquid fuisse promeritum*, nimirum: liberationem à tali metu; eam simpliciter admittere nec possumus, nec volumus. Singulis itaq; hisce diversis expositionibus ad suos auctores ac defensores remissis, respondemus (α) *ἐν λάβει αὐ* hic significare reverentiam Christi erga Patrem, exauditumq; esse Christum pro ea reverentia, quâ coluit Patrem, conf. patres latinos, & ex Græcis Photium & Oecum: nec non cum b. Luthero nunc multos alios: & ita nos hactenus cum illo & aliis. (β) Si alia responsio tibi omnino adblandiatur, audimus ut *rem metuendam ponas, non mortē, sed iram divinam, que ultra mortem fuit*; & à qua Christus in filiali sua *πρὸς θεοῦ*, est liberatus. neq; tamen ita orando sibi aliquid promeruit; ut volunt Sociniani, sed filius preces illas fudit, ut juvaretur, nè sensu iræ divinæ opprimeretur, exauditusq; est postea per hæc suas preces, non meritorie, quasi pretio antecedente; sed quemadmodum sæpe alias citra rationem meritoriam ut filius est auditus, & se si roget, iri exauditum ipse dicit, Matt. 26: 53. (γ) imo, *si ante mortem, rem metuendam posueris mortis metum*, dicere potes ab illo Christum esse liberatum per suas preces, sed similiter sine vi meriti Sociniana. Mortem ipsam secundum decretum exhibitionis non potuit metuere; nam venerat in mundum, ut pateretur ac moretur; ast quin *ex instinctu naturali* ad mortis memoriam exhorresceret, dubitare haudquaquam possumus, dum infirmitatum ejus sponte susceptarum, reminiscimur. ab hoc ergo mortis horrore ac metu per instinctum naturalem provocato, liberatus est Christus per suas preces, eo modo, quo sæpe alias in sua indigentia est sublevatus, Matth. 6: 11.

XXVII. Vers. 8. *An Christus in statu exinanitionis quædam ignoravit, & rursus ut ante ignorã didicit.* R. Sic loquitur Apostolus. *Inst. Non agit Apost. de omniscientia, sed cognitione experimentalī.* R. Etiam respectu notitiæ divinæ ignoravit, post factam *κένωσι* plenarii & incessantis usus divinæ scientiæ, Marc. 13: 32. *Inst. Si ignoravit, jam gravitas pretii redemptarii cum latebat.* R. Per unionis gratiã

gratiam id novit, & potuit scire; actu vero secundo sub assumpta forma servile, non semper scire voluit. *Inst. Præstatne dicere novisse eum omnia ut regem: ignorasse vero quædam, præsertim qua cognitionem experimentalem, ut sacerdotem, cum sacerdotale officium regio subordinetur.* R. Scriptura ponit *κέρωσι* in utroq; officio, unde etjam ad regium officium possumus ignorantiam extendere.

XXVIII. Vers. 9. *An hæc consummatio passionis fructus?* R. Ex h. l. non potest deduci firmiter, quod Christus sibi aliquid promeruit: respicit itaq; *consummatio* hæc ordinem divinitus sancitum, & ipsa est passionum quoddam consequens, 1. Pet. 1: 11.

XXIX. Vers. 9. *Annon est Christus legislator, dum habet sibi obediētes?* R. Obedientia qua talis, debetur legi, sed non item obedientia cum modificatione rei donabilis. Dist. igitur *inter obedientiam extortam & spontaneam*; illa legis est; hæc evangelii, Rom. 1: 5. Joh. 5: 24.

XXX. Vers. 9. *An obedientia sit conditio ad salutem necessaria?* R. (1) Non intelligitur hic obedientia legalis, sed evangelica. (2) Quamquam ab hac postea profluat illa legalis, Matth. 7: 17. ipsa tamen nequiquam sit conditio salutis, sed tantum ponit qualitatem in eo, qui salutem ex gratia consequitur gratis.

XXXI. Vers. 9. *Si aderit obedientia, jam non sola fide?* R. Valeret argumentum, si esset de obedientia legis: jam vero obedientia fidei nihil aliud est, quam meriti Christi adprehensio. *Inst. An sic obedientia conditio salutis?* R. Hæc obedientia evangelica est salutis causa. Vere enim salutem Christus nobis sua obedientia paravit: ast obedientia legalis est tantum fidei fructus.

OBSERVATIONES.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

I. Qua Veritatem. Probatur sacerdotium Christi ex requisitis, quæ ei fuerunt communia cum Pontifice Levitico.

I. Debit Pontifex verus homo esse, vers. 1. ut cum suis loqui, commiseratione tangi, & sensu mali affici posset: si enim Angelus ad id officium fuisset adhibitus, populus in angustias redactus, ad illum confugere non potuisset, quod ille

nihil fere cum illis commune habuisset. Similiter fuit Christus verus homo, vers. 7. 8. ut posset *συμπαθεῖν*, & ne nos ab ipso abhorreremus, qui enim ipse mala perpeffus est, optime novit animum hominis in angustias redacti, & ad hunc talem etjam afflicti tutius confugit: suspicatur enim eum esse malo subactum, atq; se miserum superciliose non despiciere, conf. sup. h. c. pag.

II. *Debuit is mediatoris partes peragere inter Deum & homines, vers. 1.* Dissidebant propter peccatum, Esa. 59: 2. & ut ille lux; ita nos tenebræ, 2. Cor. 6. 14. Similiter ad nos Deo reconciliandos suscepit Christus partes mediatoris: atq; sic quemadmodum mediatoris est. (1) Se inter partes dissidentes interponere, sic quoq; inter Deum & homines venit Christus mediator, 1. Tim. 2: 5. (2) Ut illius est partes dissidentes reconciliare, intercedendo & deprecando pro parte offendentem, offensam satisfaciendo, & cavendo ne amplius injuria inferatur: sic hæc omnia, qua fide præstiterit Christus, restis est tota evangelica historia, & testatur quoq; h. l. Apostolus, dum dicit eum *cum clamore valido & lacrymis obtulisse deprecationes & supplicationes, vers. 7. conf. Pelarg. medit. 4.*

III. *Debuit is offerre pro populo, vers. 1.* Sanctus est Deus Leviticus, 19: 2. nos vero impuri, Job. 14: necessaria igitur pro peccatis erant sacrificia. quare obtulit & sacrificavit Pontifex Leviticus sanguinem pecudum, non quod is peccata tollerent; sed quod homines ad verum & unicum sacrificium Christi deduceret. Christus vero obtulit semetipsum in ara crucis, & sic factum est sacrificium sanguinis, *sine cujus effusione nulla sit peccatorum remissio, int. 9: 22.*

IV. *Debuit is placabilis esse, & ferre eos qui ex infirmitate vel ignorantia peccabant, vers. 2.* Talis quoq; fuit Christus; quippe qui sensu mali nostri afficiebatur. ut ergo promptiores & faciliores sunt ad succurrendum miseris, qui ipsi afflicti fuerant:

rant: sic placabilis erga nos est Christus dum erramus ex ignorantia aut infirmitate, Act. 3. 17. 1. Tim. 1: 13.

V. Debit is legitime esse vocatus ad officium, vers. 4. Similiter ad officium legitime vocatus fuit Christus, vers. 5. 6. & quoq; in exegesi dictum. Confititur ergo ex his talibusq; aliis pontificis requisitis, quæ in Christum omnia quadrant, quod is verus fuit pontifex & mediator.

II. *Qua Qualitatem.* (1) Ut Sacerdotis Levitici tres fuerunt functiones, *docere populum*, Mal. 2: *Orare ac intercedere pro populo, nec non sacrificiis Deum placare*: sic quoq; Christi nostri sacerdotis tres sunt functiones: *docere, intercedere ac offerre.* (2) Ut sacerdos leviticus primam functionem cum aliis inferioribus sacerdotibus habebat communem; sic quoq; Christus ut minister circumcisionis, Rom. 15: in ministrando, vel docendo gentem judaicam, socios admisit ac constituit, Matt. 10. & 28. (3) Ut sacerdos leviticus reliquas duas functiones sibi habuit proprias; semel enim in anno ingressus est sanctum sanctorum, & ibi pro populo sacrificavit ac oravit: sic pari ratione sunt posteriores duæ rationes ita Christo propriæ, ut in illis socium neutiquam accipiat vel ferat. diciturq; ille respectu earum prioris, nimirum intercessionis, *noster mediator*: sicut respectu posterioris seu satisfactionis, dicitur *noster redemptor.* (4) Quamquam intercessio cedat satisfactioni ratione valoris: intercessionis namq; fundamentum est satisfactio, & hujus intuitu illa quoq; Deo placet: ratione tamen ordinis intercessio non sequitur satisfactionem, (sed ejus actus distinguit.) Itaq; antequam satisfactionis opus absolvetur, cœpit Christus pro nobis intercedere: atq; ita hac occasione Apost. hic intercessionem satisfactioni præmittit.

I. DE INTERCESSIONE; ubi notas

(1) Tempus, quando hæc intercessio est facta. Ratione temporis videtur intercessio Christi triplex esse. Et antequam

jacerentur fundamenta mundi pro nobis intercessit, Eph. 1: 4. & etjamnum in statu gloriæ pro nobis interpellat, Rom. 8: 34. neutra tamen harum h. l. intelligitur; nam quemadmodum illa quæ ab æterno fuit, nihil aliud fuit, quam spontanea oblatio ad opus redemptionis perficiendum; sic hæc quæ nunc fit in statu gloriæ, nihil aliud est, quam meriti ejus adplicatio ac collatio. illa vero intercessio, de qua hic loquitur Apostolus, est facta in statu exinanitionis, qui per dies carnis exprimitur alibi; & satisfactionem nec præcedit, nec sequitur, sed distinguit, & actibus ejus immiscetur: scilicet fiebat hæc in statu humiliationis quotidie: sed tamen solenniter dum Christus pernoctavit in monte: Luc. 6: 12, dum oravit pro discipulis, Joh. 17: in monte oliveri, Matth. 26: & in cruce, Luc. 23: 34.

(2) Qualitatem ejus notas; vel qualis fuit hæc intercessio. Intercessio Christi erat commiserationis plena, sicuti documento fuerunt perfusæ lacrymæ. ita nimirum siciebat ille nostram salutem, ut etjam cum lacrymis & clamore, cuperet nos peccatorum mole ac onere levare.

(3) Effectum intercessionis notas. Per ac proptet intercessionem Christi exaudimur. atq; hoc fundamento proxime posito, jubet nos Christus in nomine suo rogare patrem, Joh. 16:

II. DE SATISFACTIONE: ubi notas

(1) *Cujus ea sit?* Non est ea alterius naturæ, sed totius Christi opus, vers. 8. nam ut ad passiones sustinendas debuit adesse humana natura; sic ut passionibus, adversus æternam Dei iram, adjungeretur sufficiens ac æquivalens pretium, oportuit naturam divinam adesse: & sic totus Christus pro nobis satisfecit; unde dicta scripturæ, Act. 20: 1. Pet. 4: 1. Phil. 2: 7.

(2) *Quomodo ea sit præstata?* Est hæc satisfactio facta per obedientiam, vers. 8. conf. Rom. 5: Duplex vero est Christi obe-

obedientia, activa ac passiva. Activa solvit legi, Ps. 40: Matr. 5: Jer. 23: passiva autem pertulit pœnas, quas nos commeruimus, Luc. 24: 47. 1. Joh. 2: 1. 1. Cor. 5: 7. Ultramq; illarum esse absolutam ac perfectam, indicat Apost. quando Christum esse consummatum & perfectum, scribit verl. 9.

(3) *Quibus ea profuit?* Sicut Christus pro omnibus satisfecit, 1. Tim. 2: 4. 2. Pet. 3: sic quoq; ejus satisfactio omnibus prodest, qui eam vera fide amplecti, & sibi applicare volunt. quo respicit Apostolus dum verl. 9. dicit Christum *in sua perfectione factum esse causam salutis omnibus sibi obtemperantibus.* & est quoq; *perfectio legis ad justificationem omni credenti.* Rom. 10:

II. PARS.

De objurgatione Hebræorum.

EXPLICATIO.

Multa de utriusq; testamēti pontifice proposuerat ac docuerat ante Apostolus. & quanquam hebræorum esset singula novisse ac intelligere, quod eorum respectu nihil horum esset novum; illi tamen pleraq; vêt non adsequebantur prænimio zelo in legem Mosaicam; vel flocci faciebant per suam negligentiam. recte igitur eos hic Apostolus objurgat & hoc pacto attentiores reddit ad cœtera illius argumenti audienda, quæ cap. 7. & seqq. proponuntur. Solent Oratores, si locus difficilis sese offerat, gravibus exhortationibus somnolentiam auditoribus excutere, & ita eos ad dicendorum perceptionem præparare: similiter per hanc reprehensionem vult Apostolus Hebræis torporem excutere, & ita animos eorum ignavos, ad sequentem maximi momenti tractationem, reddere attentos. igitur.

I. *Vers. 11. Causam inscitia indigitat,* dicens: de sacerdotio Christi juxta ordinem Melchisedeci, *est nobis multus sermo,* & quoq; *interpretatu difficilis;* non respectu mei, qui divina gratia iussultus, possum id plane explicare: sed respectu vestri,

qui illius meminisse debebatis: *Segnes autem facti estis auribus*, & ideo concionatoribus mysteriorum divinorum non attenditis. In quibus omnibus culpam difficultatis à se & doctrina sua de Christo, amolitur; transfert vero eandem in eos, vel quod præpostero affectu legis Mosaicæ flagrantes hisce cogitationibus non vacarent: vel quod à fratribus suis incredulis paterentur se minis, metuq; malorum abduci: vel deniq; ac hoc loco præcipue, quod parum laboris sacrarum rerum cognitioni impenderent; unde quoq; hic eos non infirmitatis, sed segnitiei accusat.

II. *Propter hanc ignorantiam eos assimilat* (1) *Initiatùs, vers. 12. quod etsi ratione temporis, ex quo cæperunt in Christianismo agere, deberent nunc doctores esse, & alios instituere: nihil tamen magis tanto tempore profecerant, quam ut ipsi opus haberent informari instar initiatorum, & ut sibi non magna & ardua fidei mysteria, sed tantum rudimenta doctrinæ catechetice proponerentur. Atq; hanc ruditatem eorum ut magis exprimeret, eisq; cum quadam exprobratione feliciter rectiusq; proponeret, dicit quod opus habebant non simpliciter elementis; sed (juxta phrasin hebræam) elementis exordialibus doctrinæ cælestis.*

(2) *Assimilat eos pueris, qui lacte, & non solido cibo vescuntur, vers. 12. Scilicet ut pueris primum adponitur lac, & demum progressu temporis, solidus cibus, cum ejus incipiunt esse capaces: sic quamdiu vos solidum cibum i. e. altiora & sublimiora fidei mysteria, non assequimini, vel assequi vultis, non sunt illa nobis adponenda; sed ut hactenus nutriendi estis lacte vel rudimentis catechetice, conf. 1. Cor. 3:1. seq. Distinguit hic Apostolus inter lac & solidum cibum: ad eundem modum Greg. homil. 10. in Ezech. in obscurioribus ait, est scriptura cibus; quis quicquid exponitur, ut intelligatur, quasi manditur & glutitur: in apertioribus vero est potus, quem non mandendo gluti-*

mus. Neq; tamen hæc intelligit Apost. de omnibus Hebræis, quod nonnulli eorum essent doctrinæ propositæ tenaces; carpit igitur tantum eos, qui vel per oscitantiam & ignaviam hæcce mittebant; vel ceremoniis Mosaicis pueriliter adhuc præpediebantur. Hos tales in reprehensionis augmentum ac acerbiter, assimilat pueris lactantibus; inferens quod sicut virum mamillis matris adhuc adhærescere, & ex iis sugere, est cum summo dedecore conjunctum; sic putarent illi, sibi ignominiosum esse, postquam in viros ratione temporis ac institutionis, excrecere debuissent, et jamnum ex mamillis matris lac sugere.

Causam vero hujus suæ assimilationis, & cur potuit eos lactantibus comparare, fuit, quod (1) *Vers. 13. infantes erant,* respectu sublimiorum mysteriorum, 1. Cor. 14: 20. Eph. 4: 14. & (2) *quod sermonis justitiæ rudes.* quatenus vel viam veræ justitiæ nondum sciebant; & sic passi sunt se à quovis vento doctrinæ circumferri; vel quatenus inter justum & injustum in hisce, puerorum instar, discernere nondum didicerant: ignorarunt quippe probare spirit⁹, ut & pretiosum à vili separare. Neq; tamē ex his recte concluderis, solidiore cibo vel altiorum mysteriorum cognitione, eos privari debere, cum tales essent alphabetarii, & pueri lactantes: subjicit Apost. *vers. 14. perfectorum esse cibum solidum,* & ad adultiores in scientia, pertinere altiora mysteria. More philosophico rem explicat: *omnis habitus ut constat, includit inclinationem, informationem ac exercitationem:* & quidem *naturales habitus* ex principiis naturalibus hæc omnia inveniunt & arcessunt: *infusi vero* habent eadem ex principiis altioribus; in his enim nihil potest natura, ergo propensionem ac aptitudinem, per suam gratiam, in verbo, divina operatione efficit S. Sanctus. juvat deinde idem S. Sanctus illam suam *διὰ θεου*, ubi scripturam amplius legimus ac meditamur; donec efficit in nobis habitum.

Similiter tria hoc loco assignat Apost. mysteriorum idoneis auditoribus: habent illi (1) discretionem boni & mali, quatenus possunt discernere inter bonum & malum, inter verum & falsum, & sic sunt pueri non tam prudentia, quam malitia, 1. Cor. 14: 20. Matt. 10: 16. nam ratio illustrata & subiecta verbo Dei, non est contemnenda; imo, nec sensus externi, sunt contemnendi, quatenus rationi inserviunt: his enim Deus utitur, ut sui cognitionem nobis hominibus imprimat. prædicatum ergo verbum, quod auribus percipimus, & lectum quod oculis excipimus, deferimus ad mentem. exemplo est Thomas, qui tangens corpus Christi rationem tactus ad mentem devolvit, Joh. 20: Luc. 24: (2) Habent illi exercitationem, quæ habitum inducit ac conservat. scilicet ut S. Sanctus per verbi meditationem, inclinationem induxit; sic quoq; eandem fovendo in exercitium deducit; unde (3) consequuntur habitum, qui promptitudinem largitur, & supponit illos exercitatos sensus, ad discretionem boni & mali, vers. ult.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 11. *An hæc pertineant ad Melchisedecum, typum sacrificii missæ, ut volunt pontificii; & cujus naturam ideo putabimus noluisse Apostolum explicare, quod ejus non erant capaces, ut scribit Bellarm. R.* (1) Cohærentia capitis quinti & sexti, ostendit Christum intelligi. unde (2) glossa ordinaria illa exponit de Christo nostro pontifice. (3) Neq; est doctrina de eucharistia difficilis fidei, postquam illam Apostolus Corinthiis tam perspicue exposuit: etsi fortassis difficilis est missa, quippe quæ nuspiam in scripturis est tradita, nuspiam explicata. (4) Hic tamen Apost. difficultatem illam non restringit ad doctrinam ipsam per se, sed ad illam oneratam ignavia & socordia auditorum.

II. Vers. 14. *An hinc exsculpatur multa esse, vel in scriptura vel traditionibus, vel patrum conciliis, quæ non expedit rudi populo proponere. R.* (1) Sic fundamenta ponuntur fidei implicitæ & Carbonariæ. (2) Ut scripturæ omnibus Christianis sunt communes: ita etiam quicquid in scripturis proponitur, ipsis debet esse commune.

Atq; hinc (3) Christus eadem proposuit in occulto, & in templo, Joh. 18: 20. *Inst. Annon quibusdam opus est lacte, non solido cibo.* R. Propter eorum infirmitatem. non igitur causa abstinentiæ est in cibum reducenda, sed illi medendi, ut solidioris cibi fiant patientes, conf. Aug. tract. 98. in Joh.

III. Vers. 14. *An qui nullibi hærent, sint perfecti.* R. Vix cuiquam mortalium datum est sic nasci, ut non alicubi hæreat, præsertim circa gurgites historicos, geographicos, &c. *primum* ergo nemo absolute perfectus. *Deinde* qui nullibi hæret quoad cognitionem, non tamen statim est perfectus, perfectione theologica & morali; quia potest deficere idem in adplicandis iis, quæ didicit; & sic rursus laborat illatio. *Inst. Consensus patrum ponit regulas interpretationis: ii enim concoxerunt solidum cibum.* R. In patribus illis invenimus scripturam explicatam: ipsi vero vim & rationem interpretationis non constituunt, conf. honoratiss. Collegæ D. D. Ency. Sven. tubam adversus Masen.

OBSERVATIONES.

I. De ignavia in audiendo verbo Dei.

Peccant hi ignavi & oscitantes, (1) *in Deum*, quem visitantem non admittunt, 1. Sam. 8: 7. & quem clamantem non audiunt, Luc. 10: 16. tu ignaviam tuam confitere ac deprecare ex Jer. 14: 7. (2) *Peccant in pios doctores*, quorum laborem in vanum & fimum sinunt abire, Gal. 4: 11. Heb. 13: 17. (3) *In se ipsos*, quatenus manentes in sua inscitia, faciunt ut tollatur ab iis quod habuerunt, Matt. 13: 12. Luc. 19: 26. & sic poenam graviolem sibi arcessunt, Rom. 1: 20. seq. Jacob. 4: 17. Luc. 12: 47. (4) *In Ecclesiam*, cui uti debent, non profunt: omnes enim non nobis tantum, sed & aliis nascimur, & vivimus, 1. Cor. 9: 19. seqq.

II. De mysteriis divinis.

I. *Mysteriorum divinarum in religione Christiana, non est omnium eadem facilitas*: ut enim quædam sunt elementaria & lactea, conf. Catech. Lutheri Major. in lib. Concord. p. m. 175.

b. & 181. b. sic sunt nonnulla *solida & explicata difficilia.*

II. In genere *difficilium, quedam in hac vita non possunt haberi.* Rom. 11: 33. hæc periculosa sunt iuvestigatu, Prov. 25. & possunt sine detrimento salutis ignorari, quia Deus illa nunc noluit nobis revelare. *Quadam vero sub ratione salutis sciri & cognosci debent, & dicuntur dogmata fidei.*

III. Hæc talia considerantur vel *extra scripturam, vel in verbo revelato.* Extra scripturam considerata ut irrogenitis non patent, 1. Cor. 2: 14. quia *mysteria sunt temporibus æternis abscondita, Rom. 16: 25.* sic si cuiquam innotescant, qui ductum spiritus vel excussit, Gal. 3: 3. vel non admisit, Act. 13: 46. sciendum quod ibi tum tantum pariant noticiam literæ historicam, non vero intelligentiam spiritualem, rerum cognitarum gratiosa oblatione signatam.

IV. In scriptura vero eadem *difficilia considerata, lucent suo luce:* sunt enim tunc regenitis & modestis obvia, ac oculos illorum illuminant, Psal. 19: 8. seq. 2. Pet. 1: 19. *fieri tamen potest, ut hæc talia etiam in scripturis, vel adpareant, vel sint, certo respectu difficilia:* sed tenendum, quod fiat id, non ex conditione eorum *intrinseca,* quasi in illam nulla omnino ratione possemus penetrare: *sed per accidens & aliquo vitio nostro humano.* Vel enim segnes sumus ad audiendum, meditandum & orandum; vel laboramus defectu ætatis iusto tenerioris aut gravioris. vel abripimur præconceptis opinionibus, &c, &c. his talibusq; modis aliis per accidens, nimirum causa & culpa humana, fiunt mysteria fidei obscuriora: iis autem modis exclusis ac remotis, ubi per se consideratur Scriptura sacra, tantæ lucis est, tam opulentæq; informationis, ut facile se ipsam in difficultibus, illuminare, ac explicare valeat, Prov. 6: 22. seq. Psal. 119: 130. adventitio igitur glossarum fucio, i. e. qui ex scriptura non est desumptus, qua lucem aliquam, aut significationem, haudquaquam eget; sed ipsa est contenta suo radio interno, ac testimonio domestico, Joh. 5: 39. V.

V. *Ut vitia tolleremus, qua intelligentiam spiritualem impediunt, voluit Apost. eos h.l. fideliter docere. Debemus (1) assuescere per crebram lectionem ac meditationem, idq; à pueris, exemplo Timothei, 2. Tim. 3:14. (2) Quotidie exerceri ne præsumptio notitiæ, quædam ex cognitis disjiciat: sed nos contra, simus tanto certiores, Phil. 3:1. & (3) diligenter à malis discernere bona. hoc pacto amoveantur non mediocriter impedimenta; itaq; ubi nos porro adjungimus preces ex Psal. Davidis 119: 125. 144. Ps. 143: 10. vel similibus aliis; jam leo de tribu juda aperiet nobis librum signatum, dabitq; nobis oculos illuminatos, ut pedibus habeamus lucernam, & sensitis lumen, Ps. 119:103.*

CAP. VI.

Sub finem superioris capituli docuit Apostolus doctrinam de Christo, pro diversa conditione auditorum, diversimode esse proponendam. *Aut enim illi infirmi sunt, & quibus sufficiunt fundamenta ceu pietatis lacticia: aut sunt confirmati, & qui mysteriorum explanationem ferunt.* Nunc in hoc capite adcommodans se ad Hebræos, ostendit quam doctrinam intendere eis tradere. & quia eos fecisse præclaros in fide progressus supponit; ideo mysterium de sacerdotio Christi ceu solidum cibum, recipit se illis propositurum.

Partes sunt tres: I. Est præteritio rudimentorum, qua nunc non voluit eis proponere, quod captum & profectum eorum sublimiora decerent, à vers. 1. ad 4. II. Est dehortatio à voluntaria apostasia finali, sive peccato in S. Sanctum, ad vers. 9. III. Est exhortatio ad constantiam in fide, usq; ad cap. finem.

I. PARS

De rudimentorum præteritione.

EXPLICATIO.

Conceperat Apostolus de suis Hebræis meliorem spem, quod profecissent in fide: rudimenta itaq; ejus noluit nunc

eis tradere; sicut quoq; illorum fuit, non semper catechetica doctrina inhaerere, sed ad uberiores mysteriorum divinorum cognitionem properare. Hoc suum propositum exprimit

I. *Negative*, vers. 1. ostendens quid nunc sit praetereundum; nimirum, *initii Christi sermonem* esse praetereundum. intelligit vero per *Christi hunc sermonem*, doctrinam de Christo, qualis solet illa catechumenis proponi, quamq; superiori capite vers. 12. vocavit *elementa exordii sermonum Dei*, & quam hic *fundamentum* nuncupat, indigitando fundamenti loco, eam esse substernendam, 1. Cor. 3: 10. Unde sumitur h. l. *initium* non respectu temporis, sicut fit de primis parentibus, Matt. 19: 4. & de Melchisedec Heb. 7: 3. *sed respectu ordinis*, sicut fit Joh. 2: 17. & Joh. 8: 9. Mentem ergo suam hic explicat *per similitudinem ab architecto sumptam*; ut quemadmodum ille non iterum ac saepius fundamentum ponit, sed ne pro ludibrio in ore hominum abeat, semel posito adquiescit; sic ipse Apost. non vult iterando fundamento occupari, ne labor ejus ceu vanus ab aliquibus derideatur; intendit ergo ante posito hac vice adquiescere. Acut liquido constaret, quam doctrinam intellexit, per hanc *initialem & fundamentalem*, quasdam ejus partes voluit recensere. Earum ponit

Primam resipiscentiam ab operibus mortuis, vers. 1. Partes resipiscentiae ut constat, sunt duae; *aversio a peccato*, & quidem omni, Ezech. 18: 21. seqq. & *conversio ad Deum*, Joël. 2: 12. debemus desinere malefacere, & discere benefacere, Esa. 1: 16. seq. conf. Psal. 34: 15. hic vero non intelligit totam resipiscentiam, sed tantum priorem ejus partem, nempe aversionem a malo, Ose. 5: 15. Hanc fieri dicit ab operibus mortuis, id est peccatis. *peccata vero sunt opera mortui*, quia (1) proficiuntur ab homine in peccatis mortuo, Rom. 6: 6. (2) Quia vita gratiae qua spiritualiter vivimus, nos privant;

Eph.

Eph. 2: & (3) quia mortem merentur, Rom. 6: ult. *Hanc talem resipiscentiam docet urgetq; decalogus*: & quia ipsam ceu initialem & fundamentalem nunc præterit Apostolus, consequenter etiam ei propositum fuit, silentio transmittere decalogum, qui illam proponit.

Secundam ponit fidem in Deum, vers. 1. neq; vero hic fidei nomine intelligit scienda & credenda quæq; peritioribus adultis necessaria ad salutem, 1. Pet. 1: 22. verum per fidem intelligit eam fidei professionem, quam brevioribus symbolis comprehensam, catechumeni ac baptizandi baptismis suis præmittēbant. De tali fidei professione non intendit nunc eos informare; unde nec animus ei fuit breve symbolum fidei præscribere, quale nos nunc habemus in symbolo Apostolico; & quale etsi à nostro quoad formam & ordinem, diversum, habuerunt in primitiva ecclesia patres.

Tertiam ponit baptismatum doctrinam, vers. 2. Intelligit per hanc doctrinam ea religionis capita, quæ vel requirebantur ab adultis baptizandis, vel quæ erant de baptismo, & ejus vim, necessitatem ac utilitatem explicabant, Rom. 6: 3. Tit. 3: 5. tenebantur adulti novisse, quod *baptismus* constituit *Dei filios & hæredes*, sicut scribit Theodoret. Hæret. fab. lib. 5. Atq; sic volebat Apostolus etjam in his, jam tum eos fuisse recte institutos, ut nunc de iisdem, eis scribere, ac baptismi naturam rationemve explicare, non haberet opus. properabat quippe juxta intentionem suam, ad sacerdotium Christi explicandum, inf. 10: 18: seq.

Quartam ponit impositionem manuum, vers. 2. Manus sunt olim impositæ (1) *Victimis* Lev. 8: 14. atq; sic fuit ea ceremonia, tam *symbolum oblationis*; quam *testimonium reatus* in hostiam transmissi; Lev. 16: 21. (2) *Sunt manus imposita infantibus*, juxta antiquam Hebræorum consuetudinem; ita Jacobus imposuit manus Ephraimo & Manassi, Gen. 48: 14. & Christus infan-

CAP. VI.

infantibus, Marc. 10: 16. hoc modo sunt etiam (3) *manus imposita ministris servientibus Deo in ecclesia*, Num. 8: 10. Act. 6: 6. *vel republica*, Num. 27: 18. Deut. 34: 9. Atq; sub hoc charactere, est impositio manuum in se nihil aliud quam *symbolum*, docens quod persona cui manus imponuntur, non amplius sit sui juris, sed Deo addicta & consecrata. nunquam vero caruit hæc ceremonia felici adprecatione, sed semper erat cum orationibus conjuncta. adduxerunt ergo pii parentes suos parvulos ad sanctos viros, quo impositis manibus & fufis precibus, ipsis benedicerent, ut constat ex exemplo Josephi: & propter hunc finem nimirum ut Christus per manuum impositionem ac orationem, suis liberis benediceret, infantes ad illum adduxerunt parentes, de quibus Marc. 10: 13. sicut etiam nos initiandis ecclesiæ, vel inaugurandis ad officia, cum impositione manuum, felicia quæq; à Deo benigno calidis votis adprecamur. Atq; sic hic consecrationis ritus per impositionem manuum, ut etiamnum in baptifmis & inaugurationibus viget; sic tunc in primitiva ecclesia fuit maxime receptus & solennis, Act. 8: 18. Luc. 18: 15. Mar. 10: 13. Fuit & alia quædam impositio manuum usitata olim, tam in Testamento V. quam Novo, quæ ægrotorum sanationem miraculosam constituit, vide illam 2. Reg. 5: 11. & Marc. 5: 23. Act. 9: 12. hæc ab antiquis illis temporibus defluxit ad secula patrum, & ideo illi ægrotantibus imposuerunt manus, ac precati sunt ut restituerentur. *Augustinus si forte ab ægrotantibus ad hoc peteretur, ut pro eis in presenti Deum rogaret, eusq; manus imponeret, sine mora pergebat*, scribit Possidonius de Aug. c. 27. similia de *Amantio presbytero* habet Greg. Magn. Dial. lib. 3: c. 35. Hanc impositionem manuum non intelligit h. l. Apostolus, sicut nec intelligit extraordinariam illam, quæ sub initium N. T. dona contulit extraordinaria & visibilia, Act. 8: 17. 2. Tim. 1: 6.

Quintam ponit resurrectionem mortuorum, vers. 2. Hac eriguntur omnes pii, qui afflictiones patiuntur in mundo; audiunt quippe fore malorum suorum finem, & se postea feliciores prodituros, 2. Thess. 1: 4. seqq. Supponit igitur & hoc caput ceu fundamentale, eis fuisse notum: meminit tamen illius, atq; id inter initialia doctrinæ Christi recenset, ut vel in sui solatium sub angustiis, subinde illius reminiscerentur; vel deniq; id ceu fundamentale, fortius tuerentur contra tunc grassantem Saducæorum hæresin, Act. 23: 8.

Sextam ponit iudicium æternum, vers. 2. Metu pœnarum æternarum continentur in officio, qui vel lascivia carnis in præceps rapiuntur; vel quocunq; modo alio ad flagitia invitantur; *justum enim est* &c. 2. Thess. 1: 6. sunt enim *judicia Dei rigida & iusta*, Psal. 72: 1. Quare supponit & hoc fidei caput eis juste constare; ut nunc (hoc loco & tempore) veluti fundamentale ac ante cognitum, bene posset omitti. Atq; ita per sex partium enumerationem, haud obscure indigitat, quæ fidei ac doctrinæ capita intellexit, per illa *initialia sermonum Christi*, quæ nunc apud eos confirmatos in fide, dixit se velle præterire.

II. Affirmative explicat suum conatum, indicans quid nunc velit docere ac tradere. *Feramur*, ait vers. 1. *ad perfectionem*, sensus est: cum vos debeatis esse magistri secundum tempus; igitur à lacte ad solidum cibum estis transmittendi; & nos quoq; decet seposita doctrina qua solemus instituere rudes & elementarios, properare ad ea, quæ adultis & perfectis conveniunt: atq; hæc faciemus vers. 3. *siquidem permiserit Deus*, qui & me gratia informationis replevit, Gal. 2: 9. & vos vult non pueros manere, verum per partium incrementa, ad fidei perfectionem contendere, Eph. 4: 12. seqq.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 1. *An fuit mos catechizandi usitatus tempore Pauli? R.* Fuisse ac extitisse eum jam tum adparet ex Act. 18: 25. Gal. 6: 6.

II. Vers. 1. *An hinc colligatur fidem absq; operibus ad salutem non sufficere? R.* (1) Si fidei nomine intelligitur nuda fidei professio, vel fides historica, faciles concedimus eam ad salutem non sufficere, Jacob. 2: 17. seq. (2) Sin vero fidei nomine veniat fiducialis adprehensio meriti Christi; jam hæc quanquam absq; bonis operibus non sit; sola tamen & sine omni operum concursu, ad salutem à parte nostra sufficit, Gal. 3: 11. Rom. 3: 20. (3) Sed h.l. per *fidem* intelligitur symboli professio, quam recitabant baptisandi, & in se non erat justificationis instrumentum, sed fidei justificantis exter- num monumentum.

III. Vers. 2. *Cur de baptismatibus loquitur pluraliter? R.* Non sic pluraliter loquitur Apostolus (1) propter absurdum; quasi quoties repetitur catechismus, toties frequentabitur baptismus; vel quasi ab absurda hujus repetitione, vellet deterrere eos ab audiendis iterato catecheticis, ut vult Chrysostr. *Nec sic pluraliter loquitur propter comparisonem cum lege*; ubi multa inveniuntur baptismata seu ab- solutiones post commissa certa peccata, ut censent Theophyl. Oecum. conf. Ambros. lib. 2. de pœn. c. 2. *Nec sic loquitur propter rationem objectivam*, quod multi sint, quibus gratia baptismi patet; ut putat Theodor. *Nec respicit ad baptismi statos dies vel ceremonias; nec propter trinam immersionem* in primitiva ecclesia usitatam. *Nec respicit ad triplicem* ut ajunt, *baptismum, fluminis, fluminis & sanguinis*; quandoquidem demum post Apostolorum tempora est hæc distinctio introducta. *Sed ita loquitur pluraliter* vel (1) *per receptam* in scripturis numerienallagen. vel (2) *propter duplicem operationem*, in uno eodemq; baptismo conjunctam, alteram ministri affudentis aquam, & alteram Christi mediante aqua baptizantis S. Sancto. (3) *Vel respicit ad miraculosum Apostolorum baptismum in die pentecostes*, dum baptizabantur S. Sancto & igne visibiliter, Matth. 3: 11.

IV. Vers. 2. *Si baptismus est cum doctrina conjunctus, quomodo tum possunt infantes baptizari? R.* Hoc loco non dicitur, quod baptismus sit tinctio doctrinæ; sed solum scribitur quod baptismatum doctrina sit incipientibus necessaria; quod omnes affirmamus.

V. Vers. 2. *An igitur imperfecta instructio baptismi, qua habetur Matth. 28: 19. cum careat mentione doctrine.* R. Doctrina de baptismo est ante proposita à Christo; ut igitur catechumeni ante instruebantur, quam admittebantur ad baptismum; sic ante suos docuit Christus de baptismo, quam hanc baptismi instructionem daret.

VI. Vers. 2. *An hinc ut Ex Act. 8: 17. & 19. 6. eliciatur probeaturque confirmationis sacramentum pontificium?* R. (1) Manuum impositio Apostolis usitata, fuit signum visibile donorum extraordinariorum S. Sancti, miraculose in primitiva ecclesia collatorum: sacramentum vero non fuit, peculiari materia & forma institutum, sicut nec legem habuit stabilem & firmam, ut fatetur Svaretz part. 3. disp. 32. sect. 4. (2) Simplex manuum impositio ab Apostolis usurpata, multum differt à moderno confirmationis sacramento pontificio, sicut videre est ex diversis utriusque ritibus sensibilibus, & fatentur quoque meliores pontificii, vide Svaretz: citato loco. (3) Non negamus fuisse in veteri ecclesia ritum quendam, qui dicebatur confirmatio, qua baptizati ecclesiarum præpositis offerebantur, ut per preces ac manuum impositionem, acciperent S. Sanctum, & Domini signaculo consummarentur. Sed vero hunc ritum vel utilem ceremoniam, sacramentum fuisse, id est quod pernegamus.

VII. Vers. 2. *Si impositio manuum pertinet ad fundamenta religionis Christianæ; jam per eam conferebantur non sola dona miraculosa, quippe que ad fundamenta non pertinent.* R. Per eam collata esse dona miraculosa constat idoneis exemplis bene multis. at dona sanctificantia per illam fuisse collata, quæ pertinent ad fundamenta salutis, non æq; facili ratione potest probari: ex auditu enim est fides, Rom. 10: 17.

VIII. Vers. 2. *Inter fundamentalia ponitur non baptismus aquæ, sed doctrine, qui est remissio peccatorum?* R. (1) Etjam aquæ baptismus est fundamentalis, quia confert remissionem peccatorum. (2) Per baptismum significari peccatorum remissionem (etsi ille sit hujus causa) vix probatur commodo scripturæ testimonio. *Inst. Non loqueretur pluraliter nisi intelligeretur baptismus doctrine, qui multiplex est.* R. Cur loquitur pluraliter vide supra quæst. 3. *Inst. Annon doctrina de remissione peccatorum fundamentalis: & si h. l. non intelligitur; ubi alibi?* R. Est omnino fundamentalis, & intelligitur h. l. per fidem in Deum.

IX. Vers. 2. *An Apostolus intenderit ibi sex fundamenti partes recensere?* R. Videtur ita prima fronte; sed tamen si cuiquam libeat tertium & quartum membrum (de baptismatum doctrina & impositione manuum) conjungere, ac porro dicere adposita esse ea duo membra, non ut peculiariora doctrinæ capita; sed declarationis causa, ad significandam circumstantiam temporis, quo accedentibus elementa tradi solebant; nimirum dum ad baptismum admittebantur adulti, ac dum pueri ante baptizati & instituti, per manuum impositionem, coram facie ecclesiæ in fide Christiana confirmabantur: sic inquam, si cuiquam libeat ea duo membra conjungere, ac dicere ea declarationis causa esse cæteris interposita, per nos quodammodo licebit; quia (1) non tantæ necessitatis sunt eadem illa membra, ut fundamentalibus æq; bene ac cætera, possint annumerari: & ideo (2) multi codices per expressam parenthesin, ea à cæteris divellunt.

X. Vers. 2. *Cur hæc fundamentalia nominat, & non alia? item, an resipiscencia quæ est ex decalogo, fundamentalis?* Sc. R. (1) Hæc fundamentalia voluit nominare, & non alia; quia hæc cum primis videntur promovere ejus scopum, qui fuit tollere oscitantiam, & parare attentionem. (2) Quamquam itaq; extruendæ fidei & obtinendæ salutis alia magis subserviant; sunt tamen prænominato scopo hæc fundamentalia quam utilissima & aptissima. (3) Et si *decalogus utcunq;*, ut & *extremum judicium*, qua rationem confusam, sint natura nota; possunt nihilominus inter fundamentalia recenseri, & pro fundamentalibus haberi; non tantum, quia proposito fini uti dictum, sunt conducibilia, sed & quia ad Christum suo modo ferunt, Rom. 3: 20. 7: 7. 2. Cor. 4: 17. Heb. 11: 6. (4) Sicut igitur horum sex quædam sunt fundamentalia complexe sumpta, prout includunt credenda & agenda quæq; brevioribus symbolis (explicite vel implicite) indigitata; sic sunt cætera fundamentalia omnia, si non absolute qua talia: tamen sub certa ratione, nimirum prout vel referuntur ad singularem finem, vel alias salutem nostram suo modo promovent. Rom. 3: 20.

XI. Vers. 3. *Cur hic utitur permissionis vocabulo, cum sermo sit de bonis, quorum Deus est & auctor & effector* R. *ἐπιτρέψαι* non significat nudam permissionem, sed talem concessionem, qua alicui fit

fit auctoritas vel potestas aliquid agendi, sicut videre est ex locis parallelis, Act. 18: 21. 1. Cor. 4: 19. Jacob. 4: 15. Sensus igitur est, & hoc faciemus, *si Deus permiserit, i. e. vires fuerit largitus.*

OBSERVATIONES.

DE DOCENDI RATIONE.

Quid possunt Sacerdotes facere, & auditores expectare; ut & quid illi atq; hi tenentur facere.

I. Possunt ministri auditoribus suis significare in antecessum, quid velint proponere: ita enim auditores vel accenduntur desiderio dicendorum; vel ad minimum liberantur expectatione, qua alias sunt suspensi. alacriores nos conscendimus templum, de textu sacro facti certiores, Act. 17: 11. & in aliis quoq; ecclesiis promptiores sunt ad incipiendum ac canendum, qui sub exitum concionis prioris, viderunt in affixa januis tabula, quid in proximo conventu sacro est canendum.

II. Debent illi auditoribus suis se accommodare, & tum demum ad altiora mysteria ascendere, cum intellexerint auditores, in fundamentalibus esse ædificatos; quo pacto recte veritatis sermonem secant, 2. Tim. 2: 15.

III. Tenentur tamen fundamentalia semper meminisse, ut eorum memoria vigeat, nec obliterentur prurigne dicam an desiderio, novorum. natura omnes cum Atheniensibus libenter vacamus novis dicendis ac audiendis, Act. 17: 21. ad hunc igitur prurimum sedandum, ut & ne illecebris mundi vel diaboli, per illum inebriemur, juvat fundamentalia nunquam non loqui, Phil. 3: 1.

IV. Sicut fundamentalia multum variant, non tantum ratione apprehensionis; sed et ratione usurpationis: sic variabunt illi in illis recitandis ac urgendis. Si velint justificationem & salutem docere urgereq; debent semper narrare promissiones divinas & Evangelicas, in Christo & per Christum nobis datas: sin

v. velint aliquid amoliri, possunt loqui de fundamentalibus illi scopo inservientibus, & nobis quasi exprobrantibus, quam sit nostra vita vel actio inconueniens: *sunt quippe nonnulla fundamentalia, quæ directe his talibus inserviunt, quemadmodum quoque cætera sub certo charactere proposita, indirecte vel per consequentias, hæc evincunt ac jubent certissime.* Constitutum fuit Apostolo nostro suis auditoribus torporem excutere, & attentionem conciliare; fundamentalia igitur iniecit *resipiscentiam ex operibus mortuis*, quæ natura nobis utcunq; est nota, Rom. 2: 14. *fidem in Deum*, seu pactum nostrum cum Deo, in initum sub baptismo & impositione manuum. *resurrectionem*, commune malorum remedium; nec non *judicium æternum*, rem similiter natura notam, 2. Thess. 1: 6. Atq; hæc ut nobis vel natura sunt nota, vel alias attemperata, sic tanto nos stringunt vehementius, quanto cum civili ratione, cui advevimus natura ac usu, animadvertuntur magis conformia. Libenter conformamur huic seculo, Rom. 12: 2. ubi igitur audimus argumenta contra civilis vitæ probra, non possumus non iisdem commoveri, respectu vitæ futuræ, maxime cum illorum quædam sint naturali & gratiosæ vitæ communia, quæ sunt *decalogus, fides pacti, judicium*: & cætera complexe contineant, quæ alioquin sunt gratiosæ & cœlesti vitæ propria. *Iterum vero atq; sæpius inculcabunt ministri (1) Resipiscentiam & conversionem ad Deum*, Act. 8: 22. Apoc. 2: 22. 9: 20. Luc. 3: 8. monebuntq; auditores abjicere *defectionem, cor incircumcisum, præputium cordis, resurgere à mortuis, se lavare ac purificare, accedere ad Deum*, & quibus aliis phrasibus resipiscentia describitur in scripturis: nec ante cessabunt, quam viderint eos *agere pœnitentiam in cinere & sacco*, Matt. 11: 21. Luc. 10: 13. non quidem necessario juxta antiquum ritum apud judæos & gentes in doloribus communem, ut induantur sacco, & cinere aspergantur, sed ut pœnitentia eorum sit seria, 1. Reg. 8: 48. 2. Reg. 23: 25. 2. Chron. 6: 38.

(2) *Fidei sua identidem eos admonebunt*, aliquando explicite recitando credenda quæq; & nonnunquam quoq; implicite indigitando quæ expressius sub natura pacti, aut in materiali sua ratione complexa, possunt eos admonere: sicut h. l. proferans ad alia fecit Apostolus. nominavit tantum fidem in Deum; sed tamen intellexit totam illam fidem, quam illi recepissent aut professi fuissent in baptismo, & quam per impositionem manuum ipsis tunc fuissent adprecari. Atq; sic auditorum est, *α. Ferre filios suos baptizatum*, ut baptismi postea possint admoneri, Rom. 6:4. Eph. 4:23. Coloss. 2:12. *β. Impositionem manuum pro eis rogare*, ut tam ceremoniæ, quam benedictionis per eam vi precum desideratæ ac à Deo datæ, possint similiter admoneri, 2 Tim. 1:6.

(3) *Resurrectione mortuorum* terrebunt impios, Dan. 12:2. pios vero eadem consolabuntur, 1. Thess. 4:16. seq.

(4) *Iudicium extremum docebunt* subinde, malis in terrorem, 2. Thess. 1:5. Matt. 25:46. & bonis in extimulationem ac solatium, Matt. 25:34. Prov. 19:17. conf. 2. Cor. 5:10. Phil. 1:28.

II PARS

De dehortatione ab Apostasia voluntaria, contumaci & finali.

EXPLICATIO.

Hujus secundæ partis textum sacrum multi trahunt usurpātq; ad probandum baptismū non esse iterandum. Sensumq; iidem faciunt talem: *noluit hic Paulus fundamentalia tradere ad pœnitentiam, ne videretur velle rursus eos catechizare ac ad baptismum instruere.* Sed agit hic locus de peccato in S. Sanctum, ut mox ostendetur. Scopus igitur Apostoli hic est: periculi extremi plenum esse illorum torporem in addiscenda tractandaq; doctrina Christiana. Qui enim negligenter audiunt verbum Dei, auditumve per patulas aures transmittunt, eos deserit
sua

sua gratia Deus, & sic illi S. Sancto conversionem operante destituti, vel in sua cœcitate sine Deo ambulant; vel quod adhuc magis est, plerumq; præcipientes contra veritatem ruunt, ac rabiosi eam oppugnare incipiunt; unde prævia sua oscitantia iusto Dei iudicio incidant in Apostasiam talem ac peccatum in S. Sanctum, quale hic Apostolus describit. Difficilis vero nonnihil est nobis hic textus, atq; hinc videbis de ejus expositione, variare interpretum sententias?

Novatiani voluerunt hinc probare hæresin suam, quæ lapsis post baptismum denegavit aditum gratiæ; imo, non tantum hinc hæresin suam probare sategerunt, sed ex hoc loco eos fuisse seductos, constat ex Epiph. lib. 2. contra hæret. tom. 1. hæref. 59. Multi ex Scholasticis statuerunt verbis hîsce negari post mortem, pœnitentiam iis, qui vitam in magnis flagitiis finerunt, vide Lombard. Hug- Victorin. ac conf. Glossar. interlin. Concedunt alii hic agi de pœnitentia qua agitur post baptismum, sed hi rō impossibile explicant per difficile, sicut id nonnunquam in scripturis, multorum iudicio, putatur fieri, Matt. 19: 23. Nonnulli putant hic agi de pœnitentia baptismo prævia, & hi eliciunt sensum talem: impossibile est semel baptizatos iterum baptizari, & sic per baptismum renovari ad pœnitentiam. Ac si disputasset hic Apost. contra eos, qui putarunt per lavacrum baptismi debere hominem sic sæpius purificari; sicut per sua lavacra sæpius ab impuritatibus se purgarunt judæi: ita sentiunt pleriq; interpretes Græci & Latini veteres, conf. Thom. part. 3. quæst. 84. art. 10. atq; huic expositioni subserviunt quædam alia, quæ nunc præterimus, tu illa vide inf. quæst. 3.

Commodissima tamen est eorum sententia, qui accipiunt hunc locum de peccato in S. Sanctum, quod neq; in hoc, neq; in futuro seculo remittitur unquam, Matt. 12: 31. Constatq; veritas hujus sententiæ, ex probe notata ratione subjecti, quod h. l. satis justis coloribus depingitur. De illis loquitur hic Apostolus

stolus, qui (1) *Sunt semel illuminati*, puta sufficienti doctrinæ christianæ cognitione, Psal. 89:31. (2) *Gustaverit donum cœleste*, non vulgari modo ratione, qua unusquisq; dum in jucundam incidit historiam, ex illius lectione, animo non mediocriter permulcetur, & quemadmodum similiter irrogeniti ex historia Evangelicæ aliarumq; abstrusarum quæstionum gustu & cognitione, exhilarantur; Sed quatenus in cordibus suis (svavitatem Evangelii perceperunt, & sic gustum æternæ beatitudinis senserunt: aut quatenus adplicative cum omnibus suis fructibus, acceperunt Christum, qui est donum Dei, Joh. 4: 10. conf. Rom. 8: 32. Hi tales *inquit*, si *deficiant* voluntarie & penitus ab agnita veritate cœlesti, conf. inf. 10: 26. *Et sè rursus sibi crucifigant Filium Dei*, eumq; ostentui habeant: h. e. si non metu aliquo abrepti, sed destinata malitia, contra conscientiæ ac S. Sancti internum testimonium, eo impietatis progrediantur, ut non tantum crudeliter è medio tollant membra Christi, Apoc. 11: 8. sed & Christum ipsum ejusq; evangelium, conviciis ac calumniis infectentur; jam *impossibile est eos renovare ad pœnitentiam*, sicut quoq; hoc ordine salvationis durante, revera impossibile est; quia media salvationis præfractis animis petulanter conculcant ac repellunt, Act. 4: 12. Luc. 7: 30.

Sed juvat exactius hæcce considerare; ita enim ex collatis nonnullis sententiis circa membra singula, solidius confirmamur in vero. *Quæris igitur.*

I. Ex vers. 4. (1) *Quos designat per illuminatos hosce?* Non intelligit eos, qui senserunt tantum primam informationem, aut *respectu verbi*, Psal. 119: 130. aut *respectu ministrorum*, 2. Cor. 4: 6. sed quos Deus *actu ipso*, salutis cognitione donavit, Eph. 1: 18. quiq; sunt perfecte illuminati à luce illa, *qua illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Joh. 1: 9. (2) *Quid intelligit per donum cœleste, quod dicuntur gustasse?* Intelligunt

alii remissionem peccatorum, vide Chrysoft. in h. l. ac conf. Rom. 5: 16. seq. Multi intelligunt pacem conscientia, fructum in nobis vere divinum, ac ipsa remissione non parum sensibiliorem, Rom. 5: 1. & 8: 33. Nonnulli hoc donum accipiunt de impositione manuum, quæ & hic innuitur vers. 2. & ut peculiare Dei donum cum baptisate conjungitur, Act. 2: 38, ac si intelligeret donum tale, quale describit Micheas cap. 3: 8. Ego repletus sum spiritu Jehova, consilio & fortitudine, ut annunciem Jacob prævaricationem suam & Israël peccatum suum. Placet quoq; multis donum hoc Dei explicare de S. Cæna, quæ revera est donum cœleste, nobis ad gustandum datum. Vel etjam de Christo ipso, Joh. 4: 10. quem jubemur gustare, ut sentiamus quam suavitas sit, Psal. 34: 9. Sed simplicissime exponitur de prægusto vite æternæ, quæ & Dei donum est, Rom. 6: ult. & hic gustatur in spe, 1. Joh. 3: 2. nullo enim dono nunc frustramini, expectantes dum revelatur Dn. noster Jesus Christus, 1. Cor. 1: 7. (3) Quid intelligit per S. Sanctum, cujus hic dicuntur fuisse participes? Intelliguntur ea ejus dona, quæ olim per impositionem manuum dabantur peculiariter, ac subjectum expediundo officio constituebant idoneum, 1. Pet. 4: 10. sed cum primis dona ejus sanctificantia, tam omnibus communia, Tit. 3: 5. quam quibusdam singularia & administrantibus conjuncta, 2. Cor. 9: 15.

II. Ex vers. 5. (1) *Quid per bonum illud verbum Dei?* Non tam in genere intelligitur doctrina Christiana, quam in specie *verbum Evangelii*: hoc quippe est quod solum nos potest reficere. atq; hoc tunc recte dicitur gustari, ubi non solum voluntatem, sed etjam affectus, & à metu mali liberat, & à quavis libidine purgat. Concedimus ergo posse aliquem illuminari quoad intellectum partialiter; etsi idem ille nondum habeat affectum æq; purgatum, sicut etjam docet Bernhard. Serm. 3. de Ascens. Domin. Sed de tali mentis illuminatione, non potest hæc gustatio explicari; quippe quæ fit animo

animo ac affectu, longe postquam non modo mens fuit illuminata, sed & voluntas renovata, ad Phil. 1. vers. 6. conf. conversi. Augustini, lentam satis ac qua facultates terminabilem seu hærentem, sicut ipse scribit, (2) *Quid per virtutes futuri seculi?* Non tam intelligit electorum vel regnum in futuro mundo, Heb. 2:5. vel gloriam, 1. Cor. 15: quamvis utrumq; per virtutem ac potentiam abunde declaretur; sed intelligit ipsam vitam æternam, quæ & futuri est seculi consummative; & paratur per Dei verbum ceu quoddam potens medium, Rom. 1: 16. conf. sup. c. 4. pag. 116. seq.

III. Ex vers. 6. (1) *Qualis hic lapsus?* Significat lapsum ex contumaci ac hostili animo finalē. (2) *Quæ hæc Filii Dei crucifixio?* Extreme mali insultant etjamnum Christo crucifixo, sicut eidem illuserunt, qui ipsum crucifixerunt. (3) *Quæ ejus traditio vel infamatio?* Traducunt eum, dum conviciis ac blasphemis ipsum insectantur, ac si adhuc ludibrio expositus penderet in cruce. Qui inquam, sic hostiliter ac finaliter labuntur, & qui Filium Dei sic crucifigunt & traducunt: eos impossibile est renovari ad pœnitentiam; rejectis enim damnatisq; salvationis mediis, non habent nec inveniunt, per quod salvabuntur. Sicut etjam à parte docentium impossibile est hos tales renovare ad pœnitentiam: postquam enim ita in malo obfirmarunt suos animos, jam si suscipimus eos informandos, non tam doctrinam ipsis proponimus, quam margaritas suisbus projicimus, juxta dictum Christi, Matt. 7:6.

Vers. 7. Illustrat argumentum de apostatis ante propositum, per similitudinem ex conditione terræ desumptam. Quod sicut terra, quæ salutarem pluviam imbibit, dum profert fructum, colonorum suorum usibus utilem, amplius à Deo benedicitur, & magis magisq; excolitur: ita qui salutarem Dei gratiam auxilio divino admiscere, subinde benedicente Deo augentur in fide & operibus charitatis, Matt. 13: & 25: 29.

Verf. 8. Porro sicut terra quæ nihil nisi spinas & tribulos profert, frustra; imbrem excipit, vel deseritur, vel in istis suis vitiis exurit; sic qui doctrinæ Christianæ capita negligunt petulanter, & denuo Christum cum conviciis crucifigunt ac traducunt, ut inutiles ac indigni deseruntur, Act. 13: 46. & sic suo sensui reprobo committuntur, Rom. 1: 24. donec postea hostibus spiritualibus subjiciuntur perdendi ac cremandi, Matth. 25: 30. 3: 12.

QUÆSTIONES.

I. Verf. 4. *An commode rō impossibile b. l. à nonnullis explicetur per difficile?* R. (1) Incertum admodum est, an Matt. 19: 23. hæc teneat explicatio; imo contrarium urgent alii. (2) Id vero certum est, quod in hac epistola & locis aliis, rō impossibile non debet verti vel explicari per difficile, vide loca, Heb. 6: 18. 10: 4. & 11: 6. Unde (3) conjectura est, quod & hic sensus literalis est tenendus.

II. *An hi apostata fuerunt vere renati?* R. Sic docet textus. *Inst. Fuerunt tantum illuminati.* R. Et jam gustaverunt virtutes &c. quod est renatorum proprium. *Inst. Dicuntur tantum gustasse levi perceptione; non vero additur eos edisse.* R. Gustare cœlestia propter conditionem subjecti, significat non levem aliquam perceptionem, sed solidam perfruitionem, Psal. 34: 9. Matt. 16: 28. *Inst. Si solida fuisset perfructio jam immutata fuisset voluntas ad diligendum Deum.* R. An sine immutatione voluntatis possumus perfrui spiritualibus? & annon sensus voluptatis ac perfruitionis potissimum in voluntate? fuit igitur hæc immutatio vera & solida sub istum gustum, & sub istam perfruitionem: evanuit vero postea eadem, & ab hostibus spiritualibus est extincta. *Inst. Per dona spiritus intelliguntur dona miraculosa.* R. Non exclusive. nam de iis donis loquitur, quæ sunt necessaria ad salutem, verf. 6. conf. Heb. 10: 29. Zach. 12: 10. *Inst. intelligitur letitia ex verbi auditu orta.* R. De ea loquitur, quæ est post gustum donorum divinorum, & quæ habet sanctificationem secum conjunctam, Heb. 10: 29. *Inst. Habuerunt fidem temporalem.* R. Hæc temporaria veræ fidei non est opponenda; & veram fuisse eorum fidem, patet ex conjunctione spiritus, Eph. 3: 17.

III. Verf. 4. *Annon hic docetur quod non est iterandus vel frequen-*

quendam baptisumus, quippe qui 1. est lavacrum renovationis, Tit. 3: 5. 2. Græcis dicitur *ῥοτισμός* vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 3: c. 17. & 3. annon sic jubet contextus: pœnitentiâ baptismatis intelligebatur primo loco; ergo etiam h. l. agitur de baptisumo. 4. Quod sic ferat locus parallelus, Heb. 10: 32. & 5. Quod utroq; loco baptismum expressit Syrus interpres. R. (1) Quamvis hæc verba trahi possint ad excludendam iterationem baptismi, sicut quoq; illa trahit Bellarm. de S. baptism. c. 18. negari tamen non potest, quin in hunc modum tracta sensum quandoq; faciant frigidum & jejunum, ut exemplo potest esse expositio *traduñtionis* vers. 6. (2) Melior igitur & concinnior est expositio de peccato in S. Sanctum; quandoquidem illa & omnia textus membra exhaurit, & in singulis plenum orthodoxias sensum parit.

IV. Vers. 4. *An per futurum seculum intelligitur conditio N. T.?* R. (1) Ea tunc fuit præsens, unde futura non potuit dici: (2) intelligitur ergo per futurum seculum, status ecclesiæ triumphantis, Matt. 19: 30. Marc. 10: 30. *Inst. Dicitur hæc N. T. conditio futura, propter patres qui olim vixerunt.* R. *μὲλλον αἰῶν* semper significat statum post diem ultimum.

V. Vers. 5. *An per virtutes futuri seculi intelligantur dona immaculosa?* R. (1) Non erunt talia in futura vita. E. hic cum futuro seculo non possunt conjungi. (2) Si intelligantur tantum illa, quæ sunt hujus seculi, jam similiter cogitandum est, quomodo evanuerunt; concludendumq; illis abolitis non amplius fieri hujus peccati & apostasias locum, secus quam intenderit h. l. Apostolus urgere.

VI. Vers. 6. *Quomodo possunt prolapsi renovari ad pœnitentiã, cum pœnitentiã sit via ad renovationem, & non contra, renovatio ad pœnitentiã?* R. (1) Aliqui præpositionem *εἰς* explicant per *diã* vide Erasmi. (2) Nonnulli post vocem renovari, interserunt *accedentes iterum*, ad pœnitentiã. (3) Sunt alii qui verba retinent, sed pœnitentiæ nomine intelligunt eam, quæ olim à relapsis exigebatur. ac si ad hanc quoq; solvendam non sufficeret eorum renovatio. Sed quia *prima responsio* in exemplum vix adducit loca commoda: *Secunda* vero sine urgenti causa aliquid assuit; & *tertia* ad tempora Apostoli refert, quæ postmodum sunt introducta: (4) *Nos respondemus*, quod peccantes in S. Sanctum, non possunt adduci ad

pœnitentiam, nimirum quia rejiciunt medium, per quod Deus vult in eis regenerationem operari.

VII. Vers. 6. *Quomodo peccantes in S. S. sibi rursus crucifigunt Filium Dei?* R. (1) Dici possunt eum crucifigere, *α.* cum relabuntur in peccata, ob quæ ille est mortuus, & ita quasi cogunt eum rursus pati crucis supplicium. vel *β.* cum per vitæ turpitudinem faciunt nomen ejus apud infideles blasphemari, & quasi rursus crucifigi. (2) Revera vero eum crucifigunt, dum vel in ejus membris eum persequuntur, Act. 9: 4. Vel alias contra suam conscientiam ipsum doctrinamve ejus petulanter insectantur.

VIII. Vers. 6. *Si Filius Dei dicitur crucifigi, jam non agit hic locus de peccato in S. Sanctum, sed de Apostasia ab Evangelio.* R. Infert sic *Episcopus Armin. in respons.* Sed tamen (1) hic loquitur Apost. de peccato irremissibili, quale non est peccatum in Filium. (2) Conculcatio igitur hæc non est objective explicanda, quomodo late satis patet, sed applicative, prout malitiose repellitur & oppugnatur S. Sanctus, fructum Filii Dei volens nobis in verbo adplicare & conferre: (3) materiale igitur peccati est conculcatio & profanatio illa; sed vero demum sic formaliter per irremissibilitatem damnat, postquam à parte intellectus accessit sufficiens illuminatio, & à parte voluntatis το ἐκύσσιον in oppugnando ac cavillando.

IX. Vers. 6. *An fides possit amitti?* R. Contra sectarios varios patet hoc ex hoc loco clarissime. *Inst. Non dicit absolute quod prolabantur, sed hypothetice si prolabantur.* R. (1) Si impossibilis esset hic prolapsus, frustra propter eum fieret comminatio. (2) Non loquitur Apostolus hypothetice, si prolabantur; sed de prolapsis affirmat, quod non possint renovari. (3) Renatos vero prolabi posse clarum est ex Luc. 11: 11. Heb. 10: 29. seq.

X. Vers. 6. *An propter verbum prolabi, de apostata explicamus hunc textum, cum ille non tam simpliciter labatur, quam prolabatur, h. e. labatur universali ruina.* R. (1) Ut *καθ' ὅσον* quodvis delictum innuit; sic quoq; *καθ' ὅσον* significat quocunq; modo graviter delinquere: ratione igitur solius vocis non trahimur ad hanc expositionem; sicut tamen frustra conjiciunt multi Pontificii. Sed (2) huc trahunt nos adpositæ in textu circumstantiæ aliæ; quæ conjunctim ubi accipiuntur, planum faciunt abunde, non vulgarem lapsum & contra

contra conscientiam, hic indigitari, sed intelligi eum, quiescit contra S. Sanctum, & in hoc ac futuro seculo, est irremissibilis, Matth. 12: 31.

APPENDIX.

XI. *Sed datur peccatum in S. Sanctum?* R. Implicite id negant, qui *vel cum Origene*, ajunt omnia baptifatorum peccata esse in S. Sanctum; *vel cum Genebrando in expositione Symboli Athan.* putant vocem Spiritus accipi essentialiter: *vel etiam cum pontificiis nonnullis* statuunt id ideo esse irremissibile; quia unde veniam mereatur, non habet in sese. Sed expressa sunt verba salvatoris nostri, Matt. 12: 31. Luc. 12: 10. ut & Apostoli nostri h. 1 & inf. c. 10. ex quibus si alia addere non placet, existentia peccati hujus specialis, facile probatur.

XII. *Cur dicitur peccatum in S. Sanctum? nunquid alia offensio filii, alia S. Sancti?* & annon sicuti una divinitas, sic una injuria ut scribit Ambros. lib. 1. de S. S. c. 3. R. *Vox spiritus non sumitur hoc loco essentialiter*, sicut sumitur in illo Ambrosii, & sicut intendit paulo ante nominatus Origenes. *Nec sumitur personaliter*, cum constet multos pneumatomachos esse conversos & salvatos, sicut de Eunomianis scribit Chrysof. *Nec sumitur officialiter & communiter*, quomodo opera Dei ad extra sunt indivisa ut habet canon Theologicus. *Sed sumitur officialiter & proprie*, quatenus S. Sanctus regenerationem & illuminationem, propter similitudinem cum suo proprio, singulariter sibi adpropriavit.

XIII. *Quo tempore committitur tale peccatum?* R. Committi potest omni tempore, & tam in V. quam N. T.º: quia in utroq; Testamento, adest a parte Dei abundans gratia, sufficiensq; illuminatio: a parte vero hominum summa malitia, quæ proterve & impudenter potest gratiam istam propellere ac conculcare. atq; sic quo statu vel tempore, adsunt ejus requisita, (alterum objectivum, alterum formale) & ipsum adesse posse, non est negandum. *Inst. An fuit in V. T. tanta gratia?* R. Fuit tanta, licet ut nunc, non tanto evidentia gradu. *Inst. Da loca, da exempla ex V. Testamento?* R. Adferunt multi locum Psal. 19: 16. & exempla de filiis Eli ex 1. Sam. 2: 25. de Pharaone Exod. 5: 2. 7: 11. 9: 19. de audicribus Jeremiæ, Jer. 5: 12. 6: 16. Sed molestia ac discriminis plenum est, in his exemplis hanc peccati speciem urgere, tanto difficilius ac periculosius eam ex illis probare. *Nos igitur præuntibus etiam aliis*, quoad exempla

exempla V. Testamenti, judicium nostrum suspendimus, & possibilitatem existentiae, propter requisita ante nominata, sub illo tempore tantum urgemus. Inst. Sed an potest committi hoc peccatum per totum N.T. tempus? Videtur restringi debere, aut ad sanctissimam Christi in terris conversationem, quo tempore Pharisei ejus virtutibus ac miraculis obruebantur. Aut ad effusionem donorum in pentecoste, quando venit S. Sanctus, & Christus (populariter loquendo) cepit quasi esse Filius Dei, sicut in statu exinanitionis videbatur q. fuisse Filius hominis, conf. Episcopi respons. quest. 14. Aut deniq; ad postremorum seculorum æternum Evangelium. R. In genere; positis requisitis & rem ipsam poni posse, jam ante diximus. A parte Dei est per totum N.T. tempus, sufficiens gratia: & à parte hominum sufficiens malitia; potest igitur & ipsum semper esse. In specie R. ad (1) Quod ad tempus antepentecostale, non debeat restringi, patet ex hoc loco, & infra c. 10. Sicut (2) quod nec ad tempus post pentecostale debeat referri, docet Christus de Phariseis, Matt. 12: 31. ad (3) De tempore æterni evangelii speciali, dicimus esse hoc commentum ac somnium recentiorum nonnullorum monachorum, conf. Polemicos nostros.

OBSERVATIONES.

DE PECCATO IN S. SANCTUM.

I. De Nomine. Peccatum in S. Sanctum accipit diversa nomina in scripturis sacris. Ab objecto dicitur blasphemia spiritus, Matt. 12: 31. Marc. 3: 29. Luc. 12: 10. Ab adjuncto dicitur calumnia spiritus gratia, Heb. 10: 28. & si addendus est locus, 1. Joh. 5: 16. dicendum quod ibi ab inevitabili eventu, dicatur peccatum ad mortem: sicut h. l. à primo suo ortu formali, dicitur Apostasia κατ' ἐξοχήν,

II. De subjecto. Subjectum hujus Apostasias horribilis ac flagitiosæ, non est totus mundus: nam quamquam omnis defectus ac prolapsus à Deo, ejusq; verbo, quocunq; modo, ac quacunq; ratione contingit, possit apostasia latiore sensu dici, & revera quoq; quædam apostasia sit, Rom. 3: 12. conf. Psal. 14: 2. non tamen hoc loco hanc generalem apostasiam intelligit Apostolus: quia (1) de ea loquitur, quæ est ab cu-

angelio, quod supponit clare, perspicue ac salutariter suo subiecto innotuisse; qualem salutarem cognitionem frustra quæsieris à toto mundo: evanuerunt quippe multi ante in suis cogitationibus, quam salutariter potuerunt vel voluerunt informari, Rom. 1: 21. seqq. Unde Apost. notanter dicit, ad significandum eos fuisse regenitos, impossibile *hos tales removere.* (2) Si vulgaris Apostasia intelligeretur, jam nulli restituerentur vi hujus pronunciati; cum tamen resurgere ex lapsu non paucos, & testetur experientia, & doceat Christus Matt. 20: 16. *Neq̄, subiectum ejus est diabolus;* quia ille ut caret gratiosa illuminatione, & ut caret gustu doni cœlestis in Christo &c; sic etjam hoc peccatum, de quo in prædictis locis Christus & Apostolus agunt, non potest dici patrare; etsi alias ejus peccatum sit irremissibile; quod ei nulla reparationis gratia est data, Heb. 2: 16. & quod ipse desciscens à veritate, Joh. 8: 44. commeruit vinculis æternis sub caligine reservari, judæ Epist. vers. 6.

Dicis: annon ille Deum calumniatur, Christum contemnit & evangelio ejus insultat? cur igitur non dicimus eum committere peccatum in S. Sanctum? R. Reus est ille peccati in S. Sanctum, vocem *Spiritus sive acceperis essentialiter, sive personaliter & officialiter:* nullum enim flagitium est, nullum scelus, cujus ille non sit aut auctor, aut instigator: sed tamen quo minus dicamus eum hoc modo apostatam, à parte ejus obstat defectus luminis gratiæ, & carentia illius fructus. *Sin vero tu duas admiseris species peccati in S. Sanctum; unam qua agit post principium naturale, & versatur circa bonum alienum: alteram vero qua agit post principium supernaturale, & versatur circa bonum jure gratuito proprium ac adpropriandum;* jam sicut juxta posteriorem speciem solum possunt peccare homines, qui gratiam sunt consecuti, Joh. 3: 16. Sic juxta priorem peccat in S. Sanctum sol^o diabolus. Tantumq̄; abest si tu distinctionem admiseris, ut nos abhor-

reamus à tali locutione generice accepta, ut quoq; velimus illam juxta rationem modo dictam, urgere; quandoquidem qua *actum finalem, formalem ac eventualem*, omnia sunt diabolo cum nostri nominis furiosis apostatis, communia. Conjunctim quærunt Dei gloriam minuere; conjunctim Christi doctrinam negant, oppugnant ac conviciantur: utrobiq; est peccatum irremissibile. cur igitur salva utriusq; justa explicatione, dubitamus dicere utrobiq; committi in S. Sanctum, peccatum irremissibile? conf. Apoc. 12: 12. Matt. 13: 39. 1. Pet. 5: 8. Joh. 12: 31. Imo, sicut salva diversitate subjectorum, & ratione solius intentionis ac actus, Christus vocavit judam diabolum, Joh. 6: 70. ita propter intentionem ac actum, possumus dicere diabolum, æq; ac rabiosos nostros, committere peccatum in S. Sanctum.

Neg. in genere humano subjectum ejus sunt promiscue nonrenati & renati. Renati aguntur spiritu Dei, Rom. 8: 14. quare non patiuntur peccatum regnare in membris suis, Rom. 6: 12. nedum tam crudeliter peccant. *Nonrenati vero considerantur vel negative; vel privative.* Qui non-renati nunquam fuerant illuminati, nunquam perceperant gustum cœlestis gaudii, illi hujus peccati non possunt damnari; qui vero bonum illud cœleste ante gustarunt, & jam excusso spiritu, sunt privative non renati, illi soli sunt, qui id committere possunt, & ob id quoq; gravius plectuntur. *Observa* hic vindicias Dei, quomodo gravioribus pœnis mulctat eos, qui copiam suæ gratiæ scientes contumaciter conculcarunt, Rom. 2: 5. *Observa* item quomodo qui plura beneficia habuerunt, pluribus modis possunt peccare; si hi tales cœci fuissent, hoc peccatum non habuissent, sicut loquitur Salvator, Joh. 9: 41. *Dicit sic peccare posse etiam nonrenatos negative; quippe qui possunt quoad intellectum illuminari, quod huic peccato videtur satis: nusquam enim in scripturis additur, quod fuit illuminatio ista facta per verbum*

Evangelii, & cum plenaria regeneratione ac renovatione. Respondetur: Non sufficere solam & simplicem intellectus illuminationem ad hujus peccati rationem subjektivam, seu in eo, qui ejus peragitur reus; sed porro requiri voluntatis ejus ac affectuum renovationem, patet *primum* ex Phariseis de quibus Christus Matt. 12: Marc. 3: Luc. 12: qui omnes fuerant per verbum & circumcisionem, renati, conf. Matth. 22: 16. & *deinde* patet idem ex hac Apostoli locutione. dicit vers. 6. *impossibile est eos rursus renovari:* fuerant igitur ante renovati.

III. De Objecto. Hujus immanis apostasias objectum non est lex divina sub simplici ratione, prout mores spectat formatq;: expresse enim à transgressionibus legis per institutam antithesin inter violatores legis Mosaicæ, & conculcatores Christi, inf. cap. 10: 28. hoc peccatum sequestravit noster Apostolus, *Non igitur impingit hic furor directe & totaliter in doctrinam legu, sed in doctrinam Evangelii,* cujus fundamentum volens petulanter damnat ac blasphematur.

IV. De Essentia, & quid est hoc peccatum? Hic varie respondent varii, & sic plures quam 18. diversæ sententiæ apud *patres latinos & græcos* inveniuntur de eodem. Respiciunt ad *infidelitatem, finalem impœnitentiam, abnegationem, odium, contemptum, persecutionem, desperationem &c. &c.* Ac qui modestiores sunt, agnoscunt hanc cumprimis quæstionem esse, *cujus difficultate nos Deus voluit exercere, ut scribit Aug. Serm. 11. de V. D.* jactabundi vero sunt nonnulli alii, & cumprimis zvinglius in & cum sua *infidelitate,* quam putat ipsissimum hoc esse peccatum. Nos profunditatem quæstionis similiter agnoscimus, sed neq; tamen de rei veritate desperamus, verum ad scripturam anhelamus; quæ in locis ante nominatis, ostendit id cadere in hominem adultum, dum sufficienter illuminatus, ac qua voluntatem renovatus, verbum Evangelii cognitum & probatum, plena voluntate malitiose abnegat, im-

pugnat & blasphematur; qui hoc pacto induratur, fit sponte incorrigibilis, atq; ita committit peccatū quod est irremissibile.

V. De Effectu: hæc apostasia flagitiosissima (1) non damnat præcise illos, qui servant fidei fundamentum; errant vero tantum in fidei aliqua circumstantia; nam etiam hi tales servantur, tamquam per ignem, 1. Cor. 3: 13. Quid si vero iidem in pluribus erraverint, jam quidem damnantur, sed tamen non præcise per æ propter hoc peccatum; cujus essentiam sitam in abnegatione ac blasphemia, vitarunt semper. (2) *Neg. damnat illos qui à fundamento desiliunt ignorantes*, sicut juvenilibus suis annis defecit Paulus, 1. Tim. 1: 13. & qui Christum crucifixerunt, 1. Cor. 2: 8. Apostasia hæc est ab agnita veritate; qualem ille aut hi non habuerunt, nedum probarunt. (3) *Neg. damnat præcise eos, qui veritatem quidem sciverunt, ipsi vero eandem nunquam sunt amplexi*, quales describuntur, 2. Pet. 2: 1. seqq. quia hi tales ut nunquam fuerant illuminati, sic nec præcise per hanc ab illuminatione, factam apostasiam possumt damnari. (4) *Neg. damnat præcise eos, qui fuerant quidem informati; sed tamen nondum sufficienter confirmati*, quales fuerunt olim Libellatici illi, qui pecunia vitam redemerunt, ac in signum abnegationis Christi, libellos sumserunt. (5) *Neg. damnat præcise illos, qui post agnitam veritatem deficiunt coacti*, aut metu aliquo percussi, vide Act. 26: 11. Extorquetur enim his abnegatio; ubi contra qui peccat in S. Sanctum, volens eum abnegat, ac abnegatum sponte blasphematur. (6) *Neg. damnat præcise illos, qui partem quidem fundamenti tenent salvam; sed tamen ceteras ejus partes impugnant ac insectantur*, quales sunt hæretici, suo judicio condemnati, Tit. 3: 12. Hi tales quatenus partem fundamenti servant; eatenus non possunt præcise per hanc apostasiam damnari; quippe quæ totum fidei fundamentum prostermit ac conculcat, sicut ex textu sacro adparet. NB. Interim non negamus cum lapsu universali de toto fundamen-

damen-

damento, cognationem habere talem apostasiam partialem, petulantem ac finalem: (α) propter fidei copulam, quæ sicut catena ex suis annulis, concatenatur ex suis articulis, Joh. 5. & 10. (β) Quod sicut qui contra legem peccat in uno, fit reus omnium, Jacob 2: 10. ita qui unum fidei articulum summum negat ac oppugnat præfracte, non potest non in cæteros simul impingere.

Sed (γ) damnat eos, qui toti, de toto, & in totum deficiunt. (α) *Toti deficiunt*, dum scientes & volentes i. e. plena mente ac voluntate transeunt. (β) *De toto deficiunt*, dum universum doctrinæ corpus, & ita totum fundamentum fidei conculcant. (γ) *In totum deficiunt*, dum hæc faciunt malitiose, contumaciter, ac obfirmatis animis ad perseverandum in malitia. Qui sic, quantum in ipsis est, Majestatem Dei, & verbi ejus sanctitatem, non tantum ludibrio exponere, sed & labefactare ac expugnare, improbo ausu petulantissime suscipiunt, ac in eo perseverant; hos damnat hæc apostasia specialiter dicta, sive uno verbo, peccatum in S. Sanctum, de quo h. l. agit noster Apostolus. Deus clementer nos sua gratia regat, talem furorē a nobis avertat, & det *nè unquam tristitia afficiamus spiritum illum Dei*, &c. Eph. 4: 30. *ne unquam spiritui resistamus*, Act. 7: 51.

VI. De Denominatione, cur impossibilis dicitur renovatu hæc apostasia aut apud Evangelistas, irremissibilis? Ita dicitur aut talis est, non per simplicem negationem, quasi implicaret remitti & sic peccare: *neq; talis est aut dicitur respectu Dei*, qui omnipotens facile potest ejusmodi grassatorum malitiam expugnare, Matt. 19: 23. *Sed dicitur talis respectu mediolorum*, quæ omnia hi apostatæ pertinaciter repellunt & conculcant: ruunt enim taliter indurati de peccato in peccatum, & sic rejectis damnatisq; mediis, non tantum non inveniunt, per quod actu erigantur, sed & ipsa eorum hæc apostasia his mediis durantibus, fit meritorie irremissibilis: *Instat nonnemo in Corpore doctrina sua: tantisper non re-*

renovantur, dum non auscultant evangelio. *12.* Participia adposita prolabentes, crucifigentes & traducentes, non tantummodificat subjectum, hoc sensu; quasi non possint agere pœnitentiam, quamdiu non agunt: sed & rationem dant illius impossibilitatis, nimirum quod ideo non renovantur; quia Filium Dei crucifigunt, conviciantur ac ostentui habent.

III. PARS

Exhortatur ad constantiam in fide.

EXPLICATIO.

Quæ de *Apostasia* illa crudelissima dixit Apostolus, animos eorum facile potuerunt turbare, igitur ne putarent illa in se definitive esse dicta, & ita propter comminationem asperiores, ne indignarentur fulmina divini iudicii in se vibrari; hic sub initium eos excipit, ostenditq; sua hæc omnia magis præmonitionis loco dici, ne apostatæ tales efficerentur, quam quod pro talibus illos jam nunc haberet agnosceretq;. mitigat ergo nunc hic acrimoniam verborum, paulo ante propositorum, ostenditq; se hoc argumento terroris pleno, usum fuisse, ut illi extimularentur ad veræ pietatis studium, & ne ipse spe sua falleretur. Incipit *vers. 9. De vobis Hebræi confidimus meliora*, &c. nimirum confidebat de illis, quod fundamentum fidei non abnegaverint, sed quod contra in eodem constanter perseverare intenderint: atq; hinc quoq; eos dignabatur sublimioribus mysteriis cognoscendis, *1. Tim. 3: 16. Joh. 1: 18. & 9.* Emphatice vero admodum hanc suam exceptionem proponit, dicens: (α) *Persuasi sumus*: (β) *de vobis dilecti*: (γ) *meliora*, (δ) *quæ salutem secum adferunt*. Per quæ omnia uti dictum, erigere eos volebat, putarent apud illum sui opinionem longe aliam esse, quam ut pro condemnatis jam nunc haberentur: in quem etiam finem, nè similitudine de terra maledicto proxima, cruciarentur, addebat: *tametsi ita lo-*

quamur. Suam vero hanc de illis persuasionem meliorem unde habuit, jam eis pergit explicare.

(1) *Nominat bona illorum opera, vers. 10.* quæ ediderant, *vel in genere erga quosvis: vel in specie erga egenos.* Opportuno subsidio erga pauperes, in nomine Dei, & propter evangelii confessionem, ante ministrabant. ministrabant quoq; etiamnum magno delectationis suæ labore similiter: sperabat igitur fore ut Deus horum talium eorum b. operum non oblivisceretur, sed pro bonitate sua gratuita, dono perseverantiæ eos bearet ac augetet, Psal. 125: 1. 148: 14.

(2) *Nominat expresse Deum, eorum operum bonorum causam ac auctorem, vers. eodem 10.* Ille dedit hactenus fidei initium ac incrementum, dabit igitur & dehinc ejus supplementum; Phil. 1: 6. Atq; ita *tam respectu operum bonorum, quam Dei eorum auctoris, Jacob. 1: 17.* ostendit cur meliorem spem de eis conceperat: nè vero opinentur aliquo jure teneri Deum ad conferendum ipsis donum perseverantiæ, quomocumq; sese gerent, ad studium bonorum operum urgendum eos seria exhortatione concitat, *vers. 11.* Desideravit anxie, ut pro virili current in stadio pietatis, nec paterentur spem suam ullis adversitatum procellis concuti; voluit ut studerent vocationem & electionem suam firmam efficere, 1. Pet. 2: 12. per totâ suam vitam, ut omnibus fieret manifestum, quomodo spei suæ confidenter supernatabant. Quo pacto potuerunt illi per Dei gratiam, tanto celerius remotis obstaculis, ad salutis portum contendere, quanto per fidem plenioribus velis, eis licuit illuc navigare, conf. Matt. 10: 22. quin & hoc pacto imitatores potuerunt fieri sanctorum, *vers. 12.* Si enim excusso torpore pergerent in cursu pietatis, nihil fuit impedimento, quò minus assimilarentur eis, qui fide & patientia promissam hæreditatem olim sunt consecuti. Ac quanquam respiciat ad V. T.^u sanctos varios, qui etjam inf. c. 11. longa serie re-

cen-

consentur: tamen in exemplum sistit solum Abrahamum, patrem credentium, Rom. 4: 18. qui post acceptam à Deo promissionem, fuit fide constanti ac invicta. non Saræ sterilitas, non effœtum ejus corpus, neq; mandatum de occidendo filio, potuerunt eum flectere: sed totus pendebat ab ore promittentis, inf. 10: 23.

Demonstrat igitur in Abrahamo, promissionis firmitatem, ut *α.* exemplo illius ad certitudinem fidei hebræos animet, & ut intelligant, quod fides sit hypostasis rerum sperandarum &c. inf. 11: 1. *β.* ut ostendat promissionem ei factam, etiam ad illos ceu ejus spirituales filios, pertinere, sicut quoq; inf. vers. 17. vocat illos promissionis hæredes. Vult itaq; ut quemadmodum Abraham promissionem seminis sui, & imprimis de benedicto illo semine, oriundo ex lumbis suis, magna & invicta fide tenuit, ejusq; complementum inter varias ærumnas, summa cum patientia expectavit, vide histor. Gen. 12. 17. 22. sic similiter deberent illi fide amplecti futuram salutem, ac patientia vincere molestias omnes, quæ volent ingruere, donec ejusdem totalem perfruitionem possent gratis per Christum nancisci, conf. Heb. 11: 24. seqq.

(3) *Nominat Abrahæ exemplum in sua melioris de illis persuasionis documentum, quod velint constantes esse in fide, vers. 13.* Abrahamo Deus non tantum hæreditatem promisit; sed & juramento per semetipsum facto, confirmavit, Gen. 22: 16. Luc. 1: 73. Similiter etjamnum in fide & patientia expectantibus, Deus non tantum benedictionem promittit, sed & ex abundanti ad immobilitatem consilii sui ostendendam, salutem juramento firmavit, Ezech. 33: 11. *Atq; ita propter cursum eorū in praxi pietatis, propter bonitatem Dei, adaugentū plura apud habetes, Matt. 13. & propter certitudinem Dei jurantis,* ostendit se reputare eos pro eis, quibus sublimiora de Christo mytheria deberent ac possent proponi.

Ceterum occasione hujus documenti ultimi de juramento:

I. Incipit Naturam juramenti paulo distinctius explicare. & (1) Objectum ejus nominat, vers. 13. nimirum quod debet fieri per maximum. Deus v. per se ipsum juravit, cum non haberet supra se majorem, per quem jurare posset. (2) Vers. 14. qualitatem juramenti divini ad Abrahamum, describit. Videtur ea nobis suspensa, unde ab aliquibus suppletur, juxta consuetudinem nostram hoc pacto: *disperream ego, vel mendax habear, si promissis meis non stetero, & si benedicens non benedixero Abraham, aut si multiplicans non multiplicavero eum.* Sed mos tenuit apud Hebræos conditionalem exprimere, & mali imprecationem reticere. Fecerunt v. ita in juramentis suis, ut damnarent levitatem eorum, quibus nulla religio fuit, ad quamcunq; occasionem, se diris devovere: hinc pia conjectura, Deum tanto magis in juramentis suis, eadem illa imprecatione abstinuisse, ne ejus exemplo, leves iidem & temerarii, per prætextum, nequitiam suam tuerentur aut probarent. (3) juramenti illius complementum indigitat, vers. 15. Nimirum quod Abrahamus, cum patienter expectasset, consecutus est promissum; non ut quidam volunt, vel *Isacum*; quippe quem jam tum ex Sara susceperat: nec *posteritatis multiplicationem*; nec terræ *Canaan possessionem*; sed cum primis in Christo semine illo benedicto, *spiritualem benedictionem* ac vitæ æternæ beatitudinem. (4) Juramenti *veritatem ac dignitatem* innuit, vers. 16. quod sit omnis controversiæ finis. In rebus dubiis ubi alia probatione destituimur, ne inter judicandum hæreamus suspensi, confugimus ad juramentum, atq; eo patimur præsentem controversiam ancipitem decidi. (5) juramenti divini finem explicat, vers. 17. nimirum firmitatem consilii sui hæredibus promissionis amplius ostendere.

Sed hic nota (α) verba: *qua in re, respicere ad morem apud homines receptum, ut sicut apud nos juramentum ultimo lites dirimit, & pacta confirmat: sic similiter voluit*

Deus apud nos suspensos mortales, promissionibus suis conciliare fidem per suum juramentum. (*β*) *Nota* verbum *περισσός* *ὑπερβολή* i. e. *amplius*, posse referri ad promissionis hujus dignitatem præ aliis; hoc sensu: sicut hæc promissio cæteris longe antecellit: sic quoq; in sui majorem fidem, est præ cæteris juramento stabilita. Sed quia versus antecedens, & hunc proxime sequens, non tam dignitatem promissionis extollunt, quam modum sublevandæ nostræ infirmitatis ponunt; nos malumus verbum hoc (*amplius*) ad nos suspensos referre; atq; sic per nos exoritur sensus talis: voluit Deus in majorem apud nos spei certitudinem, promissioni juramentum adjicere, ut fidem quam elicere apud nos infirmos, non potuit sola promissio, extorqueret juramentum promissioni adjectum. (*γ*) *Nota consilium* Deo tribui locutione humana, quod omnia sapientissimo consilio decernat.

II. *Occasione hujus sui documenti ultimi, ex promissione & juramento arcessiti, uti sup. vers. 15. eventum particularem innuit: sic nunc vers. 18. ex eodem nobis omnibus credentibus communem quendam explicat.* Per duas hæc res immutabiles (intelligit Dei promissionem & juramentum, in quibus Deus fallere non potest, qui est ipsa veritas, Joh. 14: 6.) habemus validam consolationem, dum confugimus ad Deum: promissio quippe fide adprehensa adfert nobis summum solatiū, ac juramento confirmata facit ne ullis fluctibus tentationum obruamur. *Observa* (1) quod promissionem vocet rem immutabilem: per fidem igitur aut incredulitatem hominū, ea non removetur nec mutatur; nihil ei accedit, vel decedit. (2) Quod spem scribat esse propositam, id intelligendum esse ratione ejus objecti, cui promisso jam jam ceu imminenti, sperantis animus inhiat.

III. *Et ultimum in hoc capite vers. 19. spem nostram ex promissione & juramento conceptam, illustrat per similitudinem ab anchora navali deductam.* (1) *Quod sicut anchora in profundum maris projecta,*

navem inter procellas & decumanos fluctus firmat, servatq; nè in scopulos impingat; & nautas quoq; conservat, ut cessante tempestate, salvi in portu ambulent: sic spes in Christum jacta, in hoc turbulento mundi mari, per fidem firmat corda credentium, ab æterno exitio servat, & nè à persecutionum procellis abripiantur, sed sint in portu patriæ cœlestis, facit mordicus adprehensa. Rom. 5: 5. (2) *Sicut anchora navem retinet; sic in hoc corruptæ vitæ Oceano sanctos retinet eorum spes: est n. infixa Christo, ex cujus manū ejus oves nemo rapit, Joh. 10: 28. conf. Rom. 8: 34. Atq; his talibusq; nominibus aliis spem nostram adpellat anchoram tutam ac firmam.*

Sed ut non omnis fundus, vel anchoræ est commodus; vel ejus patiens: sic quo spem nostram vertemus, paucis declarat *vers. 19* Ingredi debet ea ad interius velum, h. e. penetrabit in ipsum cœlum, quod per sanctuarium templi ac tabernaculi fuit præfiguratum. Vult igitur ut (1) *sicut anchora peculiarem ac certum fundum possit: sic tantum in cœlum est spes nostra mittenda, Psal. 121: 2. (2) sicut anchora non hæret in aquis, sed terra sub aquis latenti, insigitur: sic nec hæret spes nostra in terrenis hisce bonis, quæ instar aquarum dilabuntur; nec primis bonorum spiritualium momentis est contenta; sed penetrat in cœlum usq; intra velum, ac cœlestibus bonis unice insigitur ac adhæret. Illuc penetrat, vers. 20. quo prodromus noster Jesus, secundum ordinem Melchisedec factus pontifex in æternum, per suam ascensionem propter nos est ingressus: α. paraturus nobis locum, Iob. 14: 2. β. pro nobis apud patrem intercessurus, Rom. 8: 34. sicut quoq; V. T. pontifex sancta sanctorum ingressus, pro populo oravit. Quæ omnia spem nostram non mediocriter accendunt ac firman: Christus est prodromus; nos igitur eum sequemur. Christus ingressus cœlum parat locū, & pro nobis intercedit; patet igitur ibi nobis locus, Phil. 3: 20. quem admodum & per preces ac in-*

tercessionem ejus, ex omnibus malis possumus emergere, Joh. 16: 23. Psal. 91: 14. seq.

QUÆSTIONES.

I. Vers. 10. Annon hinc statuuntur bonorum operum merita? R. (1) operibus non negamus compensationem in hoc & in futuro seculo: sed tamen ipsa opera hanc compensationem proprie loquendo mereri, id est quod pernegamus. (2) Merces est duplex: altera meriti, altera gratia; & hæc posterior regnat circa b. operum compensationem. scil. (3) in præmiis bonorum operum, non est justitia proportionis objectiva, sed justitia veritatis & promissionis subjectiva, cujus Deus recordatur, dum bonorum operum dicitur memor esse.

II. Vers. 10. An vox laboris sit genuina b. l. cum non extet in Syro, nec in vulgata versione, ac porro prætereatur à multis interpretibus Græcis. Resp. (1) Textus græci integritatem non metitur textus Syriacus, aut versio vulgata, &c. sed eandem largiuntur codices antiquissimi & probatissimi. (2) Est quoq; hæc enallage substantivi Paulo usitata, vide 1. Thess. 1: 3.

III. Vers. 12. Annon etiam per longanimitatem hæreditamus promissa bona? Resp. (1) Vera fides est & manet unicum organum adprehendendarum promissionum divinarum: sed tamen (2) quia promissionum complementum differtur, patientia est opus. (3) Quando igitur Apostolus dicit pios fide & patientia hæreditare promissiones, sensus est; juxta figuram ἐν δὴα δὴα, quod ad capeffendam promissorum bonorum hæreditatem, requiratur fides μακροθυμῶσα καὶ ὑπομένουσα, conf. 2. Thess. 1: 4. seq. Phil. 1: 28.

IV. Vers. 14. Cur dicit Apostolus Deum jurasse, cum in verbis Gen. 22: 17. nulla occurrat jurandi forma. Resp. (1) Singula Dei verba sunt juramenta. (2) Particula vere à Deo usurpata stat loco juramenti. Ipse n. est prima veritas; igitur dum promissioni addit particulam vere, eam loco juramenti addit in majorem respectu nostri, fidei certitudinem. (3) Continetur etiam juramentum verbis istis, per memetipsum juravi, sicut cætera verba rem juratam expriment. & (4) notat phrasis: benedicens benedicam tibi, tam benedictionis certitudinem, quam magnitudinem & copiam.

V. Vers. 17. An omne Dei consilium immutabile? Resp. Decreta Dei

vel

vel sunt absoluta, quæ nullam habent annexam conditionem ex parte hominum, & absolventur sola *doctrina* divina, qualia decreta-
 fuere: *decretum creationis, reparationis, missionis filii Dei in mun-*
dum: ut & decretum regni ac sacerdotii Christi, de quo h. l. Apo-
 stolus. Vel sunt conditionata, & quæ *legem* nostram involvunt; hæc mensurantur fide vel incredulitate; sicut illa duo: *qui credit in*
ipsum non judicatur; qui v. non crediderit, jam judicatus est, Job.
3: 18.

VI. *Vers. 18. An Deus non potest mentiri?* Resp. (1) Omnia De-
 us potest, quæ ejus naturæ non adversantur. (2) Mentiri v. adver-
 satur ejus veraci naturæ; procul igitur ab ipso *quod* mentiri; non-
 per aliquam in ipso impotentiam, sed quod ipsum, quoad Deum,
 non sit ortu possibile. *Inst. E. nos aliquid possumus, quod non potest*
Deus? Resp. Mentiri non est potentia activæ, sed passivæ: non est
 perfectionis, sed defectus: nihil mirum igitur in nobis peccatoribus
 inveniri & haberi defectum, quem divina perfectio non novit.

VII. *Vers. 19. An sicut infallibilis est certitudo promissorum divi-*
norum: sic possumus nos certi esse, ea promissa nobis destinari? Resp.
 (1) Hæc applicata individualis certitudo non est cujusvis hominis
 promiscue: sed tantum eorum, qui vere in Christum credunt. Et
 quam habent illi *non solum ex absoluteione & fidei sensu: sed cum-*
primis ex interno S. sancti sensibili testimonio, 1. Joh. 5: 10. (2) *Neq;*
 tamen dicimus hanc certitudinem absolutam esse; sed conditionatam,
 & quæ qua justificationem, solum includit fidem: sicut qua æternam
 salvationem, includit eadem cum fide, finalem in bono perseverantiam.

VIII. *Vers. 19. An ut anchora firma est & tuta: sic talis est spes*
nostra? Resp. Est spes nostra semper quidem vera: ast quod firma
 sit, id habet à Deo sublevante ac firmante, Marc. 9: 24.

IX. *Vers. 19. Spes considerata ratione intellectus, non potest esse fir-*
ma: si n. firma est ibi, jam desinit spes esse, & transit in expectati-
onem. Resp. (1) Spes est proprie voluntatis, non intellectus: & ita
 conceditur argumentum. (2) Conveniunt etjam porro illa duo
 in hoc negotio, ut sæpius in scripturis æquipollenter sumantur ac
 ponantur, vide Rom. 8: 24. Phil. 1: 20. &c.

X. *Vers. 20. Si Christus est precursor: E. ante illum non intrarunt*
V. T. sancti: sed datur limbus, in quo illi usq; ad adventum illi-

us fuerunt detenti. Resp. (1) Sicut Christus respectu resurrectionis suæ dat primitias resurgentium, 1. Cor. 15: 20. non quod nulli ante eum resurrexissent (constat multos à Christo, Elia & Elizæo esse resuscitados) sed quia propriâ virtute resurrexerit: sic quoq; respectu ascensionis suæ, dicitur præcursor: non quod ante illum nulla anima cælum intravit; sed quia ille sua propria virtute ascendit. (2) Unde notâter dicitur præcursor *eorum*, scilicet qui ex mortuis sunt resuscitati: & sic an animæ mortuorum, quæ non sunt mortuæ, nec resuscitatæ, eum vel anteverterint; vel secutæ fuerint, nihil hinc elicitur. (3) Dicitur igitur præcursor ratione divinæ virtutis, quam nobis dat, ejus ascensio: scilicet ut ipse est agnus mactatus ab origine mundi, Apoc. 13: 8. ita ad interiora velaminis, nos & sanctos veteres omnes solus suis actibus ille promovet ac admittit.

OBSERVATIONES.

De Juramento.

I. *Quid est juramentum in genere?* Est rei justæ singularis asseveratio, in testimonium veritatis facta verbis manifestis.

II. *Quotuplex juramentum?* (1) *In se* est juramentum aut *simplex*, aut *modificatum*. *Simplex* dicitur illud juramentum, quod nudis verbis proponitur in rei confirmationem: atq; hujus quidem exempla inveniuntur passim in scripturis, tam quoad Deum, quam quoad homines: sicut etiam simplex est divinum, quod h. l. ab apostolo nostro describitur. *Modificatum* v. dicitur illud, quod verbis asseverantibus addit aliquem ritum, ut cum *vel Deus* Israelitis elevata manu (vides ritum) promisit terram palestina, Exod. 6: 8. Num. 14: 30. conf. Apoc. 10: 5 similis iuramenti exemplū: *Vel homines* juramenta sua augent ritu: ita elevata manu juravit Abraham Regi Sedom, Gen. 14: 22. & manu sub femore posita, Abrahamo juravit Eleazar, Gen. 24: 2. seqq; (2) *Ratione cause* est juramentum, aut *divinum*, aut *humanum*, de quibus mox plura.

I. DE JURAMENTO DIVINO.

I. *Cur jurat Deus?* Quoad certitudinem apud eum nihil differt

differt juramentum à reliquis verbis: omnia n. ejus verba sunt juramenta, juraq; sanctissima: jurat tamen propter nos, qui hoc pacto felicius sublevamur, *Heb. 6: 17.* Sed ecce bonitatem ejus! promittit primum sua bona gratis, ac ut iis rectius invitetur, promissionem mox juramento firmat. O beatos igitur nos, quorum causa, Deus jurat: sed ô miserimos, si nec juranti Deo volumus credere. Damnantur qui verba bonorum virorum aspernantur: tu vero vecors omnino fueris, qui rerum omnium conditori, juramentum interponenti, haud habueris fidem, *Psal. 51: 6.*

II. *Quomodo jurat Deus?* Non habet Deus quemquam se majorem; jurat igitur *per se ipsum, vers. 17.* adeoq; jam *per excellentiam suam, Amos 8: 7. per dextram suam, Esa. 62: 8.* nonnunquam etiam *per sanctitatem suam, Psal. 89: 36.* vel *per fidelitatem, Psal. 89: 50.* aut *nomen suum magnum, Jer. 44: 26.* Neq; putaveris horum attributorum eum inter jurandum meminisse, ut per illa tantum significet se velle vera dicere: sed cum primis ut per eadem testetur se posse; imo præmissa promissione aut decreto, non posse non explere, quæ jurat. Ut igitur propter defectum superioris, non potest more nostro, vindictam sibi imprecari; sic etiam longe alio sensu, quam nos homines, attributa sua testatur.

III, *Qua igitur differentia inter juramenta Dei nostri, & juramenta Deorum gentilium?* Potest ea multiplex colligi, sed hac vice specta eam in sequentibus. (1) Caret Deus noster superiore; jurat igitur per se ipsum & non per aliquem essentia inferiorem. At dii gentilium jurant etiam per inferiores, sicut juravit Saturnus per Jovem suum filium, ut & per Herculem suum nepotem, ut est in fabulis. (2) *Jurat Deus noster tam propter posse suum, quam velle.* At gentilium Dii sæpius jurant ad significandum tantum aliquod velle, ipsi interea incerti, an possit aliis permittentibus, fieri quod volunt aut iurant

jurant. (3) *jurat Deus noster non sua aliqua necessitate, ac si à parte ejus non sufficeret promissio, vel quasi sine juramento non possemus ei fidem habere: abest longissime ab ipso omnis hypocrisis ac vanitas. At Dii gentilium sunt sæpius vanitatis damnati; noluerunt igitur illi ante eis credere, quam verba sua juramenti confirmarent. Apollo simulat se omnia scire, & jaculari, & citharam pulsare, & medicum esse, & divinare, &c. sed decipit omnes consulentes, λοξὰ καὶ ἑπαιμαφοτερίζοντα προς ἰκαίτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος ὡς ἀκινδύνον εἶναι τὸ σφάλμα i. e. obliqua & vergentia in utramq; interrogationis partem, respondens, ut sine periculo sit lapsus; unde deridetur &c. de eodem recte scribit Lucian. in suis fabulosis.*

II. DE JURAMENTO HUMANO.

I. *Quid est juramentum humanum?* Est rei legitimæ asseveratio, in qua Deus invocatur testis, & contra mentientem provocatur vindex atq; ultor.

Tria igitur sunt in humano juramento: (1) *Simplex rei confirmatio*; quomodo nunc multi credunt *amen* sæpius accipi in Evangeliiis, ut & in fine precationum: & quomodo id alii olim verterunt, per *vere*, vel *fiat*, conf. 1. Cor. 14. 16. (2) *Testificatio numinis divini*, quod falli aut fallere non potest, hinc locutiones: *Deus novit*, 2. Cor. 11: 11. 31. *Deus testis est*, 1. Thess. 2: 5. 10. conf. Rom. 1: 9. *ecce coram Deo loquor*, Gal. 1: 20. (3) *Sui ipsius execratio, seu vindicta divina provocatio*, conf. 2. Sam. 3: 35. Psal. 7: 4. seqq. Atq; hæc tria sunt in omni juramento explicite: negari tamen non debet, quin sæpe juretur, etsi horum singula non adsint explicite: Judæi enim imprecationem sæpius omiserunt, ut pulchre de hac re disse-rit Buxtorph. in Thef. lib. 2: c. 21. contra v. frequentius per testificationem jurarunt. hinc formulæ eorum, *vivit Deus*, Jud. 8: 19. 1. Sam. 20: 21. 2. Sam. 4: 9. *Deus novit*, Job. 16: 19. imo nonnunquam quoq; jurarunt per asseverationis suæ *amen*.

Falluntur ergo qui nescio quomodo volentes ipsas jurationes discernere, vel potius non intelligere, dicunt non esse jurationem, quoniam dicit homo: scit Deus, testis est Deus &c. ut docte scribit Aug. de Verb. Apost. serm. 30. revera n. hic talis homo jurat, etsi singula juramenti membra explicite non recenscat.

II. *An licet homini Christiano jurare?* Juramentum seu rem illicitam, simpliciter rejecerunt ex veteribus, non modo heretici Esseni, de quibus Euseb. lib. 6. hist. Eccles. sed & quoniam orthodoxi patres, utpote Athanas. Chrysostr. Nazianz. Theophyl. quibus adde modernos Anabaptistas, & illos Christianos Syracusanos; de quibus Hilarius. Verum errant hi omnes in presenti themate: quod seqq. modis probatur. (1) *Extollit in genere juramentum nomen Dei:* Jurantes quippe primum simpliciter rem asseverant: deinde fatentur Deum esse veritatis testem, ut & perjurii vindicem, conf. 1. Reg. 8: 31. quæ omnia cum in se bona sint, & cum præceptis decalogi secundo & octavo, convenient, non potest juramentum in se esse illicitum: unde *quid est jurare? nisi ejus divinam potentiam confiteri, quem testaris fidei tuæ præfulem,* ad Valentin. Epist. 30. recte scribit Ambros. (2) *Est juramentum finis controversarum vers.* 16. & proximi utilitatem promovet, Exod. 22: 8. 11. (3) *Præcipitur divinitus,* Deut. 6: 13. & 10: 20. *Inst. jurandi mos fuit in V. T. sed non item in Novo: excipiunt ita Anabaptista, sicut etiam scribit Theophyl. super cap. 5. Matth. 82.* Sicut in V. T. juravit Deus, Gen. 22: 16. Esa. 45: 23. nec non sicut olim jurarunt patriarchæ, Gen. 14: 22. Sic in N. T. jurarunt Christus Matth. 5: 18. Marc. 3: 28. Angeli Apoc. 10: 5. 6. Apostoli Rom. 1: 9. 2. Cor. 1: 23. Ex quibus omnibus abunde constat juramentum in se non esse rem illicitam, adeoque nec homini Christiano interdictum jurare, quando necessitas ita in gravioribus negociis postulat.

III. *Quando jurandum? juramentum imperabit necessitas, nec*

extra eam unquam jurandum. Datur v. talis necessitas (1) *In mutuis obligationibus* inter principem & subditos; uti fit in homagiis, de quibus politici, conf. Gen. 22. 22. Josu. 8. 15. 2. Chron. 36: 13. ut & inter doctorem ac auditores, Phil. 1: 8. conf. Deut. 29: 12. (2) *Dum Magistratus inquirat in veritatem*, & patitur juramentum esse controversiarum finem, vers. 17. (3) *Dum Dei gloria, & Ecclesia salus insigniter potest promoveri*; quo nomine juravit *Assa*, 2. Par. 15: 14. & *Esdras* juramento adstrinxit suum populum, Esd. 10: 5. (4) *Dum aliquis in pacto jurat se ad servandum promovendumq; mutuum alterius utilitatem*: talia pactorum & contractuum juramenta leguntur, Gen. 25: 33. 26: 31. 31: 53.

IV. *Sed quomodo jurandum, ut juramentum sit legitimum?* Spectatur in juramento *tam materia, quam forma*, & potest circa alterutram, vel utramq; multum peccari. Ergo nota quod

QUOAD MATERIAM, erit juramentum (1) *de re non dubia, sed certa*: quia in incertis & contingentibus, ut non possumus tuto promittere; sic tanto minus debemus jurata obestatione promissionem obsignare, nisi utrinq; & in promissione, & juramento adjungatur justa conditio; ad quam recte respexit Eleazar, Gen. 24: 5. (2) *Non erit de re levi, sed ardua*; alias fit nominis divini profanatio, Exod. 20: 7. (3) *Erit de re honesta, licita ac justa, seu de illa, qua nihil continet contra honestatem & bonos mores*. Impium igitur fuit juramentum *Herodis*, Marc. 6: 23. qui testes perjurii habere formidavit, sed non metuit tot tantosq; testes hujus iniquissimæ cœdis, confer ejusdem rationis juramenta *jephtha* Judic. 11: 31. seq. *Gibizia*, 2. Reg. 5: 20. nec non ἀφροδισιον ὄρον, i. e. venereum juramentum, de quo Cyril. lib. 6. contra julian. quomodo etiam impia sunt juramenta *rebellium contra suos magistratus*, qui juramenta sua faciunt improbitatis vincula. Hæc talia juramenta rescindi debent, quia rem continent minus honestam

nestam vel licitam: semper enim Deo magis parendum, quam hominibus, Act. 5: 29. & qui de re illicita vel inhonesta jurant, tolerabilius in medio mali subsistunt, quam ubi ad finem, cum majori culpa ac damnatione, perducunt: *melius erat non jurasse; sed postquam juravit, erat mendacium magis eligendum, quam cædes;* de Herode recte dixit Theodoret. Idem esto dictum de aliis juramentis illicitis: ac proinde respectu hujus conditionis juramenta sua recte mutarunt, *David contra Nabal* 1. Sam. 25: 22. & *Saul contra jonathan*, 1. Sam. 14: 39. seq. fuit quippe eis melius transgredi minarum jusjurandum, quam tam nefaria cæde se polluere. (4) *Erit juramentum de re possibili, ne videatur temerarium.*

QUOAD FORMAM (1) *Non jurabunt infantes, ebrii, aut amentes:* deest quippe hisce rectum judicium, quod tamen aderit in eo, qui circumspicte & sine vitio jurabit; & hoc nomine laborant juramenta impuberum in pæpato. (2) *Non sit juramentum coactum, sed voluntarium & pleno consensu factum,* qualia non sunt, quæ ab invitis sæpe extorquentur. (3) *Constet juramentum verbis perspicuis non flexilobis,* ne Deum magis ludificare, quam colere videamur: procul enim relegamus *Priscillianistas*, qui ad quemvis auræ flatum se accommodantes, putarunt sibi laudi esse, jurare ac pejerare: scilicet dum pii omnes interjurandum animis feruntur in cælum, Apoc. 10: 5. 6. hi cum suis, caducis fecibus attenderunt, conf. Lutheri Catechismi, Major, super 2. dum præceptum decalogi. Sicut etiam damnamus illos, qui jurarunt non juxta proponentium mentem, sed juxta suam aliquam reservatam conclusionem: *quod olim fecerunt Pelagiani & Arriani, & non ita pridem aliquos Calviniani,* conf. *Hist. Eccles* (4) *Fiat juramentum in nomine rei præstantissima,* ac ut vult Apost. in nomine solius Dei, Deut. 6: 13. solus enim ille potest cordis humani latebras scrutari, & solus quoq; potest pro delicti gravitate, fallentem punire.

nire. Peccant igitur, qui (α) per sua idola jurant, sicut fecit Laban Gen. 31: 53. & Jezabella, 1. Reg. 19: 2. imo, nec accipiendum est juramentum, quod ab idololatra datur per idolum, nisi fortassis sub fidem moralem, conf. Aug. Epist. 154. ad publ. (β) qui jurant per aliquam creaturam &c. sive directe id fiat, sive indirecte, creavit enim Deus calum & terram sibi in ministerium, non hominibus ad juramentum, &c. qui ergo jurat per calum vel terram, aut quicquid illud est, per quod jurat, deificat illud, scribit Chrysoft. homil. 12. super Matth. 5: Si quis tunc per calum intellexerit sanctitatem Dei, sicut fit Amos 4: 2. quomodo & Hebræorum multi per *Jerusolymam* putantur intellexisse Deum ibi habitantem; jam alia est iuramenti illius conditio, & id sine dubio, metiendum ex conditione sui subjecti, per quam fit omnino diversum ab eo, quod vel gentiles per sidera; vel impii Judæi per suam *Jerusolymam* improbe jurarunt, conf. Matt. 5: 35. (γ) Peccant qui in specie jurant per sanctos, sicut faciunt pontificii; qui peccant genericè, jurando per creaturas contra mandatum divinum; & specificè, dum divini numinis attestationem & vindictam, quæ sunt ejus cultus, Jer. 5: 7. transferunt impie in homines, Ela. 42: 8.

Sed hic observa duo: (1) *Posse nos civiliter per creaturas uti obtestationibus*, sicut quoq; solemus in vulgari usu, ad faciendam fidem assertioni nostræ, res nobis charissimas, veluti pignoris loco interponere; qua ratione testes veritatis cælum & terram invocat *Moses*, Deut. 32: 10 & qua ratione per salutem Pharaonis civiliter obtestatur *Ioseph*, Gen. 42: 15. *Objicis Ioseph ibi vel bene precatur: vel vehementer asseverat*, sicut *Hanna*, 1. Sam. 1: 26. conf. 1. Sam. 17: 55. *vel peccat, quæ aut respicit ad Ægyptios, per vitam regis jurare coactus: aut qd. ad minimum hoc pacto ostendit ejus vitam sua esse digniorem.* R. Priorres duas expositiones sine dubio, disjici per ipsum textum accuratius expensum: postremam v. aut in ultimo membro veram.

veram esse, aut plane docere, quod notabis (2) *Circa imitationem in civilibus obsequationibus nos debere esse prudentissimos, levitas nostra, aut festinatio, ne quo nos temere deflectat.*

Atq; sic ubi justum fuerit juramentum, *qua materiam, subjectum, formam, finem, modum &c.* jam tenemur id præstare, si ultrices Dei manus volumus effugere, 1 Sam. 19: 6. 1 Reg. 2: 42. imo, si animadverterimus nos festinasse in re minus necessaria, honesta tamen, tenemur etiam hoc pacto libertate missa, *sacramenti contemplatione facere, quod spondimus juramento, conf. Ambros. lib. 3. offic. c. 12.*

CAP. VII.

CONSTITUIT Apostolus noster ducere Hebræos à Mose ad Christum, *sacrag. Christi Mosaicis antepone*: atq; horum prius statim sub initium epistolæ multis evicit. *posterius* vero demum cap. 5to, coepit ex professo urgere. Ac quia in hac prærogativa sacerdotii Christi obtinenda, inter cætera argumenta sup. capp. 5: 6. & 6: 7. fecit mentionem Melchisedeci, ad cujus ordinem dixit Christum factum esse sacerdotem; igitur jam in hoc capite, *quò qualisq; fuit ille Melchisedec*, satis clare depingit, atq; ita per eum, Christum Abrahamo Aro- niq; multis rationibus præponit.

Partes sunt Duae: I. Continet descriptionem Melchisedeci, ut inde præ toto ordine levitico deducatur excellentia Christi, ad vers. 12. II. Profert argumenta, quibus præminencia Christi stabilitur, ad capituli finem.

I. PARS

De Descriptione Melchisedeci.

EXPLICATIO.

Sub finem præcedentis meminit Apostolus Melchisedeci, quem constituit verum Christi typum: eum igitur nunc in

hoc capite, amplius describit, ut quis fuerit, ac quomodo antitypum suum Christum adumbraverit, planius adpareat. *Describit v. Melchisedecum.*

I. *Ab Officio, quod ille geminum gessit, Regium & Sacerdotale.* Distincta omnino sunt hæc duo officia, nec sine singulari vocatione, unquam in uno homine conjunguntur. Atq; hoc quidem tempore, ordinem Ecclesiasticum prorsus separatam esse à politico, docet Christus expresse Matt. 20: 25. Marc. 10: 42. quin & olim qua rationem ordinariam, fuerunt similiter ordines separati, ac propterea est Uzias, dum citra vocationem divinam, utrumq; affectabat, graviter à Deo punitus, 2. Reg. 15: 5. Ut tamen olim multi alii singularibus à Deo donis vel privilegiis, donabantur; dum in suæ Ecclesiæ salutem, Deus sic voluit dispensare: sic similiter Melchisedeco integrum fuit vel imperatum, duobus diversorum ordinum officiis præesse, tam juxta vocationem sui extraordinariam; quam quia gerebat singulari modo, personam Christi typicam. Itaq; Apost. (1) *Eum Regem salem nominat.* Sed quid *Salem?* sunt qui cum Hieronymo, singulari opinione, intelligunt Sichem, metropolim Samaritanorum, quæ fuit tribus Ephraim. *Alii* suspicantur fuisse oppidum quoddam, situm in planitie, ubi Abrahamus fudit suos hostes: *Sed rectius per Salem intelligitur Ierusalem,* olim Salem dicta, ut constat ex Psal. 75: 3. (2) *Introducitur eum ut sacerdotem Dei altissimi, & qui coluit verum Israhælis Dominum,* conf. Gen. 14: 18. Pl. 110: 4.

II. *Ab Operibus eum describit:* ac (1) *Ab opere regio,* quod revertenti Abrahamo à cæde regum, venit obviam, eumq; more regio, cum suis excepit ac refecit humaniter, conf. Gen. 14: 18. seqq. (2) *Ab opere sacerdotali eum describit,* nempe quod Abrahamo benedixit, & decimas ab eo tulit. Quod etiam Abrahamus fuit sacerdos Dei altissimi, liquet ex Gen. 22: sed hic tamen Melchisedeco se subjicit, suaq; subjectione agnoscit

gnoscit Melchisedecum se superiorem ac majorem. Ergo instar sacerdotis etz Melchisedec *primum benedixit ei*, non modo vulgari ratione salutando, sed actu singulari, ac sine dubio, juxta ritum sacerdotalem, Num. 6: 23. *Deinde accepit quoq; Melchisedec decimas ab Abrahamo*, puta jure quodam ceremoniali, quo soli inferiores jubentur superioribus decimas dare; sicut contra jure morali possunt inferiores etiam à superioribus, decimas accipere. Accepit v. Melchisedec decimas de manubiis & spoliis omnibus, quæ Abrahamus inter repetendum Lothum, de hostibus ceperat, conf. hist. Gen. 14: 19. Quanquam ergo magnus propheta ac sacerdos fuit Abraham: ipso tamen major, qua ætatem, & qua sacerdotii amplitudinem, fuit hic Melchisedec, conf. inf. quæst.

III. *Describit Eum ab Ortu, vers. 3. & (1) Quod esset sine patre ac sine matre.* Scribit Epiphanius per traditionem vulgatum fuisse, ejus patrem vocatum fuisse Eraclam, & matrem Asteriam: Sed illam traditionem vi textus sacri tam clari, ut & propter personæ rationem typicam, nos ut fabulosam damnamus; putamusq; eum sic inferri sine patre & matre fuisse, non ratione generationis, sed commemorationis in scriptura factæ. Scriptura sic de eo loquitur, ut nusquam neq; patris illius, neq; matris, ullam injiciat mentionem, ac propterea dicitur ille *ἀπαύτως καὶ ἀμήτωρ.* (2) *Quod non esset in genealogiam relatus, ex fundamento simili addit.* Habuit equidem & hic, ut mortalium quivis alius, parentes ac majores, à quibus uti descenderat, ita potuit recenseri; sed tamen hic à Mose idem non recensentur; ac propterea dicitur ille *ἀγενεαλόγητος.*

IV. *ADuratione eum describit: ac (1) A personali duratione, quod neq; initium, neq; finem vitæ habuit: quæ omnia uti dictum, dirigente Deo, dissimulantur à Mose. (2) A duratione officiali, quod manserit sacerdos in perpetuum, non quod in innumeros annos.*

annos ejus sacerdotium sit extensum; sed quod scriptura tacendo eum esse mortuum, similiter silentio involvat, quod ejus sacerdotium sit terminatum. Quomodo igitur teste Drusio, Hebræi negant Jacobum Patriarcham esse mortuum, ex occasione; quod scriptura non dicat eum esse mortuum, sed tantum expirasse, Gen. 49: 33. etsi eo pacto expirare, sit revera mori, sic credimus similiter Melchisedec finem & vitam & sacerdotii habuisse, etsi utrūq; singulari Dei providentia in scripturis sit suppressum, ut in his pariter ac in aliis, Christus tanto clarius in illo adumbraretur.

Hic Melchisedec inquit, est assimilatus filio Dei, vers. 3. forte quod vita & actionibus ejus personam utcumq; in quibusdam exprimebat: sed potissimum fuit ei assimilatus in superioribus recensitis typis. E. (1) Ut Melchisedec vi nominis dicitur Rex justitia, seu justus: ita justissimum exercet Christus imperium, Plal. 45: 7. cives suos justitia beat, 1. Cor. 1: 30. & efficit ut & illi juste ac sancte vivant, Tit. 2: 12. Eph. 4: 24. (2) Ut ille regnavit in Salem id est pace: sic est Christus rex pacis, Esa. 9: reconciliavit nos Deo Rom. 5: 1. dedit pacem conscientia, Esa. 53: 5. &c. (3) Ut ille fuit sine patre & matre; sic fuit Christus ratione humanitatis sine patre, & ratione divinitatis sine matre. (4) Ut ille fuit sine genealogia scripta; sic generationem Christi divinam vel humanam, longa serie utrinq; pertexere non datur. (5) Ut ille caruit principio dierum & vita sine; sic initio & fine caret Christus: fuit in principio, Joh. 1: 1. est, & ac ω, seu principium & finis, Apoc. 1: 8. (6) Ut ille fuit sacerdos in perpetuum; sic est Christus sacerdos in æternum, inf. 10: 12. Memineris vero in his omnibus proponendis, quam notanter scribat noster Apostolus: Melchisedec ait, est assimilatus filio Dei. non contra, est filius Dei illi assimilatus: revera enim hæc omnia habuit filius Dei: Melchisedeco autem competunt eadem, Deo sic benigne vel indulgente, vel in scripturis agente.

Quin & porro eundem Melchisedecum incipit cum Abrahamo conferre, vers. 4. sperans ubi monstravit, eum esse Abrahamo superiorem, planum fore, quomodo ejus antitypus Christus, similiter Abrahamo & Levitis omnibus, est præferendus. Considerate ait, *quantus hic fuerit*, ac mox præcellentiæ ejus argumenta producit.

I. *A Decimatione, vers. 4.* Abrahamus fuit patriarcha, id est patrum princeps, non vulgari modo ratione, quomodo vel Isaac vel Jacob, quod multorum patrum facti essent capita, patriarchæ dicuntur Act. 7:8. seqq. & quomodo David patriarcha dicitur, Act. 2:29. sed fuit is patriarcha κατ' ἐξοικην, i.e. fuit sôs sanguinis Israëliti, & cui promissio de multiplicatione seminis primum fuit facta, Gen. 12:3. & 18:18. Ast nihilominus talis tantusq; patriarcha existens, de exuviis hostium, decimas dedit Melchisedeco; major igitur ipso ac præstantior fuit Melchisedec. Nam sicut ex filiis Levi, posteri nimirum Aaronis, qui sacerdotio fungebantur, habebant mandatum, decimas accipere à fratribus suis, Num. 18:21. seqq. 2. Paral. 6:6. ac per decimarum sumptionem, declarabantur fratribus superiores: sic similiter per harum decimarum acceptionem, est Melchisedec Abrahamo & omnibus ejus posteris, præstantior declaratus, conf. inf. quæst. 12.

II. *Ex decimandis hominibus, vers. 6.* Levitis dabantur decimæ tantum à sui sanguinis hominibus, juxta legem Deut. 18:1. Sed v. hic Melchisedec accepit decimas etiam ab Abrahamo, etsi in ejus genealogia non esset scriptus: tanto præstantior igitur fuit hic levitis omnibus; quanto præ illis, latius decimavit.

III. *Ex benedictione, vers. 6.* Abraham habuit ante singulas res promissiones; sed tamen ei adhuc benedixit Melchisedec, non civili tantum ratione, quomodo nos sæpe aliis benedicimus, & illis bona à Deo precamur, vide exempla Luc.

1. & 2. *verum benedixit illi, ex sacerdotali sua functione, ceu voluntatis divina nuncius ac minister: atq; sic quemadmodum ille (eadem ratio in patriarcharum omnium solemnibus benedictionibus) omnia habuit ex ore divino: sic benedictionem ejus comprobavit eventus, & Abrahamus vere est benedictus factus. Unde itidem propter benedictionem, elucescit prærogativa Melchisedeci: Sine omni contradictione benedicitur inferior à meliore, vers. 7. unde vice versa, dignior est qui benedicit, quam qui benedicitur.*

IV. *Ex perpetua ejus existentia, vers. 8. Levitæ qui decimas acceperunt ex lege, fuerunt mortales: hic v. habet testimonium, quod non sit mortuus; præstatigitur hic ceu perpetuum durans, levitis illis, qui subinde alii post alios evanuerunt, sicut semper caducis præferimus æterna, Matt. 6:19.*

V. *Ex potestate decimandi illos, qui decimas accipiunt, vers. 9. Levi accepit mandato divino decimas à suis fratribus; sed tamen ipse in Abrahamo ac per Abrahamum, est ab hoc Melchisedeco decimatus. Scilicet ut Levi in lumbis Abrahæ constitutus, vers. 10. dum ei occurrit Melchisedec, accepit benedictionem, per suum avum; sic per eundem ei statim decimas solvit; atq; ita tam ex hoc, quam superioribus cæteris argumentis multis, evicit Apostolus, quod Abrahamo ac levitis præstantior fuit Melchisedec, unde voluit concludi, itidem illis omnibus nobiliorum esse Christum, in Melchisedeco utcunq; adumbratum.*

QUESTIONES.

I. *Vers. 1. An Melchisedec nomen proprium? Resp. Sunt qui negant esse nomen proprium, dicentes id esse epitheton Regis Salem, sicut imperatores Romani Cæsares salutantur, & veteres Ægyptiaci Reges dicti sunt Pharaones: verum his, expresse contradicit Apostolus, dum primum non aliter eum nominat, quam hoc nomine; & deinde dum ipse explicationem nominis subjicit, vers. 2. Igitur: Adonisedec significat dominum justitiæ, & tamen nomen propri-*

um est Regis Jerusolymitani, Josv. 20. sic est quoq; hoc *Melchisedec*, nomen proprium, et si significat justitiæ Regem.

II. *Vers. 1. Quis fuit hic Melchisedec?* Resp. Extant de persona ejus variantes sententiæ, præsertim apud veteres. *Nonnulli hæretici, Hieracem Ægyptium, secuti ducem, statuerunt Melchisedecum sub specie humana fuisse ipsum S. Sanctum*, unde huic omnia Melchisedeci epitheta adpropriarunt, vide errorem ipsorum apud August. in quæst. V. & N. T. quæst. 109. ut & apud Epiph. hæres. 55. *Alii rursus hæretici à dogmate suo Melchisedeciani dicti, statuerunt Melchisedecum fuisse magnam quandam virtutem*, superne in innominatis locis existentem, de qua affirmarunt Christum participasse, & sic dictum fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedec: vide nugas eorum apud Epiph. hæres. 55. ut & apud Theodor. lib. 2. hæret. fabul. *Patrum non pauci putarunt eum angelum fuisse*: tanta fuit excellentia ejus, ut à nonnullis dubiteretur, hominè an angelus fuerit, scribit Aug. sup. Gen. quæst. 72. Seductiq; sunt iidem patres, vel ab Origene, ut refert Hieronymus Epist. 126. vel à quibusdam Judæis, ut vult Ambros. lib. 3. de fide cap. 5. *Vulgatissima verò Hebræorum sententia tenet eum hominem fuisse, ac quidem Semum filium Noæ*, qui vixit annos 600, & fuit Abrahami *שֵׁם בֶּן־נֹחַ* annos 175, ut nunc constat, ex accuratiore vitæ ejus supputatione: atq; hanc sententiam amplectuntur nunc eruditorum quam plurimi. *Inst. Semi filii habitaverunt in oriente procul à terra Canaan, Gen. 10. conf. Arnob. in Psal. 104. non igitur verisimile Semum vel relictis liberis ad Palestinos divertisse, Vel ibi alienigenam potuisse ita extolli.* R. Potuit suis derelictis, illuc commigrare ob varias causas, sicut quoq; ibi Deo adjuvante, potuit exaltari: ast quod utrumq; debuit fieri, videtur typica ejus ratio voluisse. *Inst. Vis deposito pignore affirmare Semum fuisse?* R. Ob remotam à filiis sedem, ut & quod de parentibus & prosapia Semi nobis constet ex scripturis, invenio varios sensisse, eum è genere Sidoniorum fuisse, vide Theodor. in Gen. quæst. 64. & Philastr. hæres. 96. Nobis similiter sunt hæ dictæ rationes tanti pretii, ut deposito pignore, quod ajunt, pro Semo non audeamus certare: suspicamur tamen ex omnibus, qui in scripturis nominantur, cum primis eminere Semum; Tu verò si probabili nostræ & communi opinioni nolis assurgere,

finge eum fuisse vel dynastam aliquem Canaanæum, vel quenquam alium (verum hominem omnino tamen) à Deo ad hunc typum gerendum, excitatum, & propter possibilitatem existentiae à parte Dei, ut & propter suspensos non nihil animos nostros in conjiciendo, non nos te multis fatigabimus.

III. Vers. 2. *Uter decimas dedit alteri, Melchisedec nè Abrahamo; an contra hic illi?* R. (1) Textus hebræus & 70. interpretum versio, sic loquuntur, ut sensus quoad subjectum sit ambiguus, nec plane satis constet, uter alteri dedit decimas, conf. Hieron. Epist. 126. *Inst. Annon in codice romano & regio 70. interpretum versionis, tollitur ista amphibolia?* R. Improbo ausu illi duo codices antiquiores alios deseruerunt, ac pro arbitrio unam integram vocem (Abraham) adjecerunt, cum aliquot Rabinis relinquentes sensum, quasi Melchisedec Abrahamo dedisset decimas: Sed tamen (2) Quod Abraham dedit decimas, & Melchisedec accepit, colligitur ex textu, indicis non obscuris. *α.* Benedixit Melchisedec Abrahamo. *β.* Fuit idem ejus loci summus sacerdos: at summo sacerdoti benedicens suis ex officio, mos fuit olim semper aliquid dare. *γ.* Juravit paulo post Abraham de universa præda se nihil accepturum: Si igitur noluit quicquam accipere à Rege Sodomorum, quanto magis ei fuit religio, quicquam accipere servandum, à Melchisedeco Rege Salem; & quæ plures rationes ex textu possunt erui: conf. nobiscum ex antiquioribus, Joseph. Antiq. lib. 1. c. 11. & Philon. lib. de congress. quær. erudit. ex recentioribus vero nunc orthodoxos plerosq;

IV. Vers. 2. *Quid significant hæ decimæ? decimam nè partem; an munera honoris causa, Melchisedeco data, uti concedit Cajetanus super Gen. 14.* R. (1) De hisce decimis sic loquitur Apostolus, ac si proprie loquendo decimæ essent. (2) Quod decimæ ponantur pro honorariis, vix ostenditur per certam scripturæ phrasin. Unde (3) nos servamus sensum literalem.

V. Vers. 3. *An fuit Melchisedec sine patre & matre?* R. Supponimus duce scriptura, eum verum hominem fuisse, atq; sic non dubitamus quin parentes habuerit: Sed quoscunq; agnovit, sic tamen *ἀπατρὸς καὶ ἀμητρὸς* dicitur, tantum quia generis ejus ratio, propter typum, non est in scripturis circa hoc nomen, adposita. *Inst. Teste Epiphanio fuit pater ejus Eraclai, & mater Astarorb sive Aferia.*